UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Phileremi Palaeologi Monachi De Oratione Dominica Liber

Lardenoy, Martin de

Parisiis, 1673

urn:nbn:de:hbz:466:1-9892

Visual Library

Th. 2688.

I VII
15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PHILEREMI PALÆOLOGI MONACHI DE ORATIONE DOMINICA LIBER

Ex Legato Clm Principis Frisingen. Epi Paderb. et Monast. Ao 1683

Ex variis Sancti Augustini sententiis summâ fide contextus.

In quo præcipua Christianæ humilitatis Arcana panduntur.

PARISIIS,
Apud GUILLELMUM DESPREZ, viâ Jacobeâ, sub signo D. Prosperi.

M. DC. LXXIII.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Collegij Soc. Jesu Paderb.



PHILEREMI PALÆOLOGI MONACHI DE ORATIONE DOMINICA LIBER

Ex variis Sancti Augustini sententiis summâ fide contextus.

In quo præcipua Christianæ humilitatis Arcana panduntur.

PROLOGUS.

DIviniſſimè Christus Dominus formulam orandi breviter nobis præscripsit. Noverat quippe hoc pertinere ad modestiam fidei, si non agmine verborum ad-

eundum putaremus ad ſummum patrem, quem ultrò ſuis proſpicere certi ſumus. Et tamen brevitas iſta magnæ ac beatæ interpretationis ſubſtantiâ fulta eſt : quantumque ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem; ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ; ut revera in oratione hâc breviarium totius Evangelii comprehendatur. Ita ſenſit ac docuit olim Tertullianus, & qui Tertullianum de proximo ſecutus eſt Martyr Cyprianus, aliique Patres ac Doctores utriuſque linguæ non pauci. Verùm nemo feliciùs apice Doctorum Auguſtino; cujus libri tractatúſque omnes, quà de Myſterio Chriſtianæ gratiæ, aut de moribus piè inſtituendis agunt, hunc in ſcopum, dirigente Deo, unicè tendunt ut Sacramenta Dominicæ orationis fidelium intelligentiæ patefaciant,

ac multiplices divinæ sapientiæ thesauros ibi latentes in publicam lucem eruant. Norunt quàm verè hoc dicam, quibus est cum Augustino familiaritas longo usu firmata. Sed rarum hoc genus : tanti enim boni consecutio difficilis, nec paucorum dierum. Plures invenias quibus placet Augustini lectio ; sed otium deest, quin & vigor ille animi constans ac perpetuus, eò adhibendus. His nos præcipuè laboramus in hoc opusculo ; quod quidem ita contrahit Augustinum Orationis Dominicæ arcana promentem, ut illum tamen integrum erudito cuique ac studioso Lectori exhibeat.

PATER NOSTER.

[a] CUm in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus quem deprecamur, laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari : & hoc in orationis principio poni solet : in

[a] *Lib. 2. de serm. Domini in monte c. 4.*

quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit nisi *Pater Noster.*

Matth. 6. 9.

[b] Cogitemus, carissimi, cujus filij esse cæpimus, & sic vivamus quomodo decet eos qui talem habent Patrem. Videte quia Creator noster dignatus est esse Pater noster.

b *Serm. 9. de diversis c. 3.*

Rom. 8. 14.

[c] *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei:* non qui secundùm carnem suam vivunt, non qui secundùm spiritum suum vivunt: non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur; sed *quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: non* [d] *litterâ sed spiritu;* non lege præcipiente, minante, promittente; sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Jam [e] ergo non in timore, sed in dilectione, ut non servi sed filij simus. Qui enim adhuc ideò bene agit quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios. Utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, charitas libera est; & ut sic dicamus, timor servus est caritatis. Ne possi-

c *Serm. 13. de verb. Apost. c. 10.*

Rom. 8. 14.

d *Ibid. c. 11.*

2. Cor. 3. 6.

e *Ibid. c. 13.*

deat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet, quia *consummata caritas foras mittit timorem.* 1. Ioan. 4. 18.

[a] Hæc est gratia novi testamenti, quod in vetere latuit, nec tamen figuris obumbrantibus prophetari prænuntiarique cessavit. [b] Utatur ergo voce novi testamenti populus novus ad æternam hæreditatem vocatus, & dicat *Pater Noster.* [c] Quo nomine & caritas excitatur (quid enim carius filiis debet esse quàm pater?) Et supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, *Pater Noster*; & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus, cùm priusquàm aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim jàm non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit ut filij essent? Postremò, quanta cura animum tangit, ut qui

a *Epist.* 120. *c.* 3.

b *L.* 2. *de serm. Domini in monte cap.* 5.

c *Ibid sup.*

dicit, *Pater noſter*, tanto patre non ſit indignus? Si enim quiſquam plebeïus Senatorem grandioris ætatis ab eo ipſo patrem vocare permittatur, ſine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis ſui, & opum indigentiam, & plebeïæ perſonæ vilitatem. Quanto ergo magis trepidandum eſt appellare patrem Deum, ſi tantæ ſunt labes, tantæque ſordes in moribus, ut multo juſtiùs eas à ſuâ conjunctione Deus expellat, quàm ille Senator cujuſvis mendici egeſtatem? [a] Admonentur etiam hîc divites vel genere nobiles ſecundùm ſæculum, cùm Chriſtiani facti fuerint, non ſuperbire adverſus pauperes & ignobiles, quoniam ſimul dicunt Deo, *Pater noſter*: quod non poſſunt verè ac piè dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant. [b] Si filij Dei facti ſumus, & Dij facti ſumus: Sed hoc gratiæ eſt adoptantis, non naturæ generantis. [c] Aliud eſt enim per patris excellentiam eſſe unicum

a *Ibid. à fra.*

b *In Pſ. 49. init.*

c *Lib. cont. Secundinum cap. 5.*

filium Dei; aliud per misericordem gratiam accipere potestatem filios Dei fieri credentes in eum. *Dedit eis*, inquit, *potestatem filios Dei fieri.* Non ergo erant naturâ, cùm potestatem ut fierent, acceperunt credendo in ipsum. Cui unico non pepercit, *sed pro nobis omnibus tradidit eum*, ut apud se unigenitum, apud nos primogenitum faceret. Ex illo igitur quòd unigenitus est, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Ex illo autem quòd primogenitus in Ecclesia fratribus factus est, *Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Nos quoque inquantum naturaliter filij iræ fuimus, hoc est, vindictæ filij, vinculo mortalitatis obstricti, quamvis illo creante atque instituente, qui proculdubio à summis usque ad ima, omnia in mensura, & numero, & pondere disponit & format, tamen ex carne & sanguine, & ex voluntate carnis nati sumus: inquantum

Ioan. 1. 1. 12.

Rom. 8. 32.

Ioan. 1. 13.

Eph 2. 2. 3.

Sap. 11. 21.

autem accepimus potestatem filios Dei fieri, nec nos ex carne & sanguine, aut ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis, sed ex Deo, non quidem coæquante naturâ, sed adoptante gratiâ nascimur.[a] Eramus enim aliquid antequam essemus filij Dei.[b] Habebamus patrem & matrem in terrâ, ut nasceremur ad labores & mortem. Invenimus alios parentes, Deum patrem, & matrem Ecclesiam, à quibus nascamur ad vitam æternã;[c] & accepimus beneficium ut fieremus quod non eramus; sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur nondum erat filius ejus à quo adoptatur; jam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hâc generatione gratiæ discernitur ille filius qui cùm esset filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filij hominum, filios Dei fieri. Factus est quippe ille quod non erat, sed tamen aliquid aliud erat; & hoc ipsum aliquid, Verbum Dei erat per quod facta

Ioan. 1. 13.

a *Ep.* 120. c. 4.

b *Ser.* 9. *de diver.* c. 2.

c *Epist.* 120, c. 4.

Ioan. 1. 3.

sunt omnia, & lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & Deus apud Deum. Nos quoque per ejus gratiam facti sumus quod non eramus, id est, filij Dei: sed tamen aliquid eramus, & hoc ipsum aliquid multo inferius, hoc est, filij hominum. Descendit ergo ille ut nos ascenderemus, & manens in naturâ sua, factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in naturâ nostrâ efficeremur participes naturæ ipsius: [a] quia *nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Quamvis enim in terrâ factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam quâ in cælo manens descendit in terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur, unus Deus, & alter homo; sed unus atque idem Deus & homo: Deus, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud*

Ioan. 3. 13.

[a] *Lib. 1. de pecc. merit. cap. 31.*

Ioan. 1. 1.

Deum , & Deus erat Verbum: Homo, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ac per hoc per distantiam divinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terrâ ; per unitatem verò personæ, quâ utraque substantia unus Christus est, & filius Dei ambulabat in terrâ , & idem ipse filius hominis manebat in cælo. Fit ergo credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia longè distantior, atque incomparabili diversitate sublimior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam , ut una persona fieret , ac sic filius hominis qui erat in terrâ per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cælo per participatam carni divinitatem : Quanto credibiliùs alij homines sancti & fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus , ut omnibus per ejus hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse unus Christus ascendat in cælum qui de

cælo deſcendit ? Sic & Apoſtolus ait : Sicut in uno corpore multa membra habemus ; omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum eſt corpus ; ita & Chriſtus. 1. Cor. 12. ver. 12. Non dixit, ita & Chriſti, id eſt, corpus Chriſti vel membra Chriſti : ſed, ita & Chriſtus, unum Chriſtum appellans caput & corpus. [a] Si nemo aſcendit niſi qui deſcendit, ipſe autem eſt filius hominis, Dominus noſter Jeſus, vis & tu aſcendere ? Membrum ipſius eſto, qui ſolus aſcendit : etenim ille, caput cum cæteris membris unus homo eſt : & cùm aſcendere nemo poteſt, niſi qui in ejus corpore membrum ipſius factus fuerit, impletur, quia *Nemo aſcendit niſi qui deſcendit.* [b] Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat : ut compaginet unitas, quid facit niſi charitas ? Et charitas Dei unde ? Apoſtolum interroga. *Charitas*, inquit, *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ergo

Ioan. 3. 13.

a *Serm.* 234. *de temp. cap.* 6.

Ioan. 3. 13.

b *Tract.* 27. *in Ioan. ante med.*

Rom. 5. 5.

Ioan. 6. 64.

ſpiritus eſt qui vivificat ; Spiritus enim facit viva membra ; nec viva membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat ipſe ſpiritus invenerit. Nam ſpiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas ut homo ſis, numquid vivificat membrum quod ſeparatum invenerit à carne tuâ ? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat niſi membra quæ ſunt in carne tuâ. Unum ſi tollas, jam non vivificatur ex animâ tuâ, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, ut amemus unitatem, & timeamus ſeparationem : Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti : ſi enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum ejus: Si non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus : *Quiſquis autem*, inquit Apoſtolus, *ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* [a] Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes. [b] Dic mihi

Rom. 8. 9.

[a] Tract. 26 in Ioann. poſt med. [b] Ibid. inſr.

quid ex quo vivat. Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui vivit; qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo & tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi. Nunquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, & tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Rom. 5. 5.

[a] Certè, *quia* dixi, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, ideò est consequens ut quia Spiritus sanctus Deus est, nec diligere possumus Deum nisi per Spiritum sanctum, amemus Deum de Deo. [b] Deus igitur Spiritus sanctus qui procedit ex Deo, cùm datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei & proximi; & ipse dilectio est; non enim habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo.

[a] *Serm. 2. de diverſ. cap. 2.*

[b] *Lib. 15. de Trin. c. 17.*

a *Ser. 2. de diver. c. 2.* 1. Ioan. 4. 16. [a] Audite apertiùs ipsum Joannem: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Parum est dicere, Charitas ex Deo est. Quis nostrûm auderet dicere, *Deus charitas est?* Dixit qui noverat quod habebat. [b] Dilectio igitur quæ ex Deo est, & Deus est, propriè spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissimè Spiritus sanctus, cùm sit Deus, vocatur etiam donum Dei: quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est quæ perducit ad Deum? [c] Nullum est isto Dei dono excellentius: Solum est quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera; sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistrâ non transfertur ad dexteram: Nec spiritus pro-

Ibid.

b *Libr. 15. de Trin. cap. 18.* Rom. 5. 5.

c. *Ibid. sup.*

priè dicitur donum nisi propter dilectionem. [a] Quapropter si sancta Scriptura proclamat, *Deus charitas est*; illa quæ ex Deo est, & in nobis id agit ut in Deo maneamus & ipse in nobis, & hoc inde cognoscimus, quia de spiritu suo dedit nobis, IPSE SPIRITUS EIUS EST DEUS CHARITAS. Deinde si in donis Dei nihil majus est charitate, & nullum est majus donum Dei quàm Spiritus sanctus, quid consequentius quàm ut ipse sit charitas, qui dicitur Deus, & ex Deo? [b] Amplius tibi non potuit dilectio commendari, quàm ut diceretur Deus. Fortè munus Dei contempturus eras: & Deum contemnis? Deus dilectio est: & *qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo.* [c] Interroga viscera tua: si plena sunt charitate, habes spiritum Dei. [d] Quid ergo humana imaginatio & volatica cogitatio fingit sibi Deum, & in corde suo fabricat idolum, componens qualem potest cogitare, non qua-

a *Ibid. cap. 19. 1. Ioan. 4. 16.*

b *Tract. 8. in Ep. Ioan. fin.*

Ibid.

c *Ib. sup.*

d *Serm. 2. de div. c. 2.*

lem meruit invenire ? [c] Invisibilibus similis est Deus : & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia. [a] Deus charitas est. Inde habemus aliquid : inde aspersi sumus : inde irrorati. [b] Qualis res est, si pignus tale est ? Nec pignus, sed arrha dicenda est ; pignus enim quando ponitur, cùm fuerit res ipsa reddita, pignus aufertur ; arrha autem de ipsâ re datur quæ danda promittitur, ut res quando redditur, impleatur quod datum est, non mutetur. [c] Cujus ros talis est, qualis est fons ? Rore isto aspersus, sed flagrans in fontem dic Deo tuo, quoniam apud te est fons vitæ. In rore isto natum est desiderium : in fonte satiaberis : ibi est quod sufficiat nobis. [d] Primitias itaque spiritûs nunc habemus, unde jam filij Dei reipsâ facti sumus : in cæteris verò spe sicut salvi, sicut innovati, ita & filij Dei : re autem ipsâ quia nondum salvi, ideo nondum plenè innovati, nondum etiam filij Dei, sed filij sæculi.

c Serm. 17. de ver. Ap. cap. 3.

a Serm. 122. de diverf. cap. 9. 10.

b Serm. 13. de ver. Apoft. cap. 15.

c Serm. 122. de diverf. c. 10.

d Lib. 2 de pecc. merit. cap. 8.

Proficimus

Proficimus ergo in renovationem juſtamque vitam per quod filij Dei ſumus, & per hoc peccare omninò non poſſumus, donec totum in hoc tranſmutetur, etiam illud per quod adhuc filij ſæculi ſumus; per hoc enim & peccare adhuc poſſumus. Ita fit ut *qui natus eſt ex Deo, non peccet*; & *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Conſumetur ergo quod filij carnis & ſæculi ſumus: & perficietur quod filij Dei, & ſpiritu renovati ſumus. Unde idem Joannes; *Dilectiſſimi*, inquit, *nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Quid eſt hoc, ſumus & erimus, niſi quia ſumus in ſpe, erimus in re? Nam ſequitur & dicit: *Scimus quia, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Nunc ergo & ei ſimiles eſſe jam cæpimus, primitias habentes ſpiritus; & adhuc diſſimiles ſumus per reliquias vetuſtatis. Proinde,

1. Ioan. 1. 8.

1. Ioan. 3. 2.

Ibid.

inquantum similes, in tantum regenerante spiritu filij Dei: inquantum autem dissimiles, in tantum filij carnis & sæculi. Illinc ergo peccare non possumus: Hinc verò, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, donec totum transeat in adoptionem, & non sit peccator, & quæras locum ejus, & non invenias.

QUI ES IN CÆLIS.

[a] *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 5.*
[b] *Epist. 37. ante med.*

[a] ID est, in sanctis & justis: non enim spatio locorum continetur Deus, [b] ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus... Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas unus Deus. Neque enim mundum inter se in tres partes diviserunt, quas singulas singuli implerent, quasi non haberet ubi esset Filius aut Spiritus sanctus in mundo, si totum occupasset Pater. Non ita se habet vera incorporea, immutabilisque divinitas. [c] Cogi-

[c] *Serm. 4. Paris. cap. 11. tom. 10.*

tanti ergo tibi de Deo, occurrit aliqua fortaſſe in humanâ ſpecie mira & ampliſſima magnitudo. Conſtituiſti eam in conſpectu cogitationis tuæ tanquam magnum aliquid, ampliſſimum, grande, ingentiſſimâ mole diffuſum. Finiſti alicubi? Si finiſti, Deus non eſt. Si non finiſti, facies ubi eſt? Cogitas molem, & ut membra diſtinguas, definis molem; aliter enim membra diſtinguere non potes, niſi moli dederis finem. Quid agis, ſtulta & carnalis cogitatio? Grandem molem feciſti, & tanto grandiorem, quanto te putaſti Deum amplius honorare. Addit alius unum cubitum, & fecit majorem.

[a] Nec ſi augeas imaginatione cogitationis lucem ſolis quantum potes, ſive quò ſit major, ſive quò ſit clarior, millies tantum, aut innumerabiliter: Neque hoc eſt Deus. Nec ſicut cogitantur Angeli, mundi ſpiritus cæleſtia corpora inſpirantes, atque ad arbitrium, quo ſerviunt Deo, mutantes atque ver-

a *Lib. 8. de Trinit. cap. 2.*

santes : Nec si omnes , cùm sint millia millium , in unum collati unus fiant : Nec tale aliquid Deus est. Nec si eosdem spiritus sine corporibus cogites , quod quidem carnali cogitationi difficillimum est. [a] Sed cùm in his etiam quæ nostris corporalibus adjacent sensibus , vel quod nos ipsi in interiore homine sumus , scientiâ comprehendendis laboremus , nec sufficiamus ; non tamen impudenter in illa quæ supra nos sunt divina & ineffabilia pietas fidelis ardescit, non quam suarum virium inflat arrogantia , sed quam gratia ipsius Creatoris & Salvatoris inflammat. Nam quo intellectu Deum capit homo qui ipsum intellectum suum quo cum vult capere , nondum capit ? Si autem hunc jam capit, attendat diligenter , nihil eo esse in suâ naturâ melius , & videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum , nitores colorum , spatiosam granditatem , partium distantiam, molis distensionem , aliquas per

[a] *Lid. 5. de Trin. cap. 1.*

locorum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil certè istorum invenimus in eo, quo in naturâ nostrâ nihil melius invenimus, id est, in nostro intellectu quo sapientiam capimus quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere quod longè melius est meliore nostro: ut sic intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentiâ creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum: [a] ne quasi spatiosâ magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur (omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte quàm in toto); sed ita potiùs, sicuti est magna sapientia, etiam in homine cujus corpus est parvum: &, si duo sint sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est il-

[a] *Epist.* 57. *ante med.*

la in majore major, minor in minore, aut minor in uno quàm in duobus; ſed tanta in hoc, quanta in illo, & tanta in unoquoque, quanta in utroque: neque enim ſi æqualiter ſunt omninò ſapientes, plus ſapiunt ambo quàm ſinguli.

a *Ibid. inf.* [a] Verùm illud eſt multò mirabilius, quòd cùm Deus ubique ſit totus, non tamen in omnibus habitat; b *Ibid inf.* non enim omnibus dici poteſt 1. Cor. 3. 16. quod ait Apoſtolus: [b] *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Unde è contrario de quibuſdam idem dicit: quiſquis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Quis porrò audeat opinari, niſi quiſquis inſeparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quòd in aliquo habitare poſſit Pater & Filius, in quo non habitat Spiritus ſanctus; aut in aliquo Spiritus ſanctus, in quo non Pater & Filius? Unde fatendum eſt ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per in habitationis gratiam:

propter hanc enim habitationem ubi proculdubiò gratia dilectionis ejus agnoscitur, non dicimus, Pater noster qui es ubique, cùm & hoc verum sit; sed, *Pater noster qui es in cælis*, ut templum ejus potiùs in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & inquantum sumus, in tantum ad ejus societatem & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis ejus adhuc in istâ peregrinatione dicitur templum ejus: quanto magis est templum ejus in cælis ubi est populus Angelorum, quibus aggregandi & coæquandi sumus cùm finitâ peregrinatione quod promissum est sumpserimus? Cùm igitur qui ubique est, non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat non æqualiter habitat. Nam unde est illud quod Elisæus poposcit, ut dupliciter in eo fieret spiritus Dei qui erat in Eliâ? Et unde in omnibus sanctis alij aliis sanctiores, nisi abundantius haben-

Matth. 5. 9.

4. Reg. 2. 9.

do habitatorem Deum? Quomodo ergo verum ſuprà diximus quòd Deus ubique ſit totus, quando in aliis eſt ampliùs, in aliis minùs? Sed non eſt negligenter intuendum quod diximus in ſeipſo eſſe ubique totum. Non ergo in eis, quia alij plus eum capiunt, alij minùs. Ideo enim ubique eſſe dicitur, quia nulli parti rerum abſens eſt: Ideo totus, quia non parti rerum partem ſuam præſentem præbet, & alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem. Sed non ſolùm univerſitati creaturæ, verùm etiam cuilibet parti ejus totus pariter adeſt: hique ab eo longè eſſe dicuntur qui peccando diſſimillimi facti ſunt; & hi ei propinquare, qui ejus ſimilitudinem piè vivendo recipiunt; ſicut rectè dicuntur oculi tanto eſſe ab hâc luce longiùs, quanto fuerint cæciores: quid enim tam longè eſt à luce quàm cæcitas, etiamſi lux præſto ſit, atque oculos perfundat extinctos?

extinctos? [a] Et quid multis teneor? Vita corporis anima est: vita animæ Deus est. Spiritus Dei habitat in animâ, & per animam in corpore, ut & corpora nostra templum sint Spiritus sancti quem habemus à Deo. Venit enim Spiritus sanctus ad animam nostram, quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis:* & totum possidet qui principale tenet. In te quippe illud principatur quod melius est. Tenens Deus quod melius est, id est, cor tuum, mentem tuam, animam tuam, profectò per meliorem possidet & inferiorem, quod est corpus tuum. [b] Ecce de animâ loquebar. Anima est, etsi non sit sapiens: Etsi non sit justa, anima est: Etsi non sit pia, anima est. Aliud illi ergo est, esse animam; aliud verò esse sapientem, esse justam, esse piam. [c] Aliud est enim in animâ, unde corpus vivificatur; aliud, unde ipsa vivificatur. Melius quippe est quàm corpus;

a *Serm.* 18. *de verb. Ap. cap.* 6.

1. Cor 6. 15.

Rom. 5. 5.

b *Tract.* 19. *in Ioan. ante medium.*

c *Ibid. inf.*

sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa, etiamsi sit insipiens, injusta, & impia, vita corporis. Quia verò vita ejus est Deus, quomodo cùm ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cùm vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de animâ; aliud quod præstatur animæ de Deo. Vivificat & vivificatur. Mortua, vivificat, sed ipsa non vivificatur. [a] Quomodo moritur caro amissâ animâ quæ vita est ejus; sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus. [b] Nihil potentius istâ creaturâ quæ mens dicitur rationalis: nihil hâc creaturâ sublimius. Quidquid supra istam est, jam creator est. [c] Non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata. Non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima: nec participatione Angeli fit beata sancta anima: sed si quærit beata esse in-

a *Tract. 47. in Ioan. med.*

b *Tract. 23. in Ioan. ar-temed.*

c *Ibid. sup.*

firma anima, quærat unde beata sit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu; sed unde Angelus, inde & tu. Veritate namque atque sapientiâ quæ communis est omnibus, omnes sapientes & beati fiunt, inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus: quia & cùm eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illâ scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentiâ cujusquam fit prudens alius; aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiâ, aut justus justitiâ hominis alterius quisquam efficitur: sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsâ veritate sapientiáque communi: quibus & ille coaptavit, & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit. [b] Porrò si vita ipsa præcipuè vivit, quâ vivit omne quod vivit; recole obsecro, quas dicat

a *Lib. 2. de libero arb. cap. 19.*

b *Epist. 222. post med.*

scriptura divina animas mortuas. Profectò invenies injustas, impias, infideles. [a] Insinuavit nobis, animam humanam, & mentem rationalem, quæ inest homini, non inest pecori, non vegetari, non beatificari, non illuminari nisi ab ipsâ substantiâ Dei. [b] Mortui sunt omnes infideles: omnes iniqui corpore vivunt, sed corde extincti sunt. Qui autem suscitat mortuum secundùm corpus, reddit eum luci huic videndæ, & huic aëri ducendo: non autem suscitator ejus ipse illi lux & aër est. Incipit videre quemadmodum videbat anteà. Anima non sic exsuscitatur. Anima enim exsuscitatur à Deo, quamquam & corpus exsuscitetur à Deo. Sed Deus quando exsuscitat corpus, mundo reddit: quando exsuscitat animam, sibi reddit. Si recedat aër mundi istius, moritur corpus: si recedat Deus, moritur anima. Cùm ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. [c] Ipsa est enim

a *Tract. 23. in Ioan. post init.*

b *In Psal. 70. can. 2. post init.*

c *Ibid. inf.*

gratia ejus, ut resuscitet, & sit nobiscum. [a] Nam resuscitationem animarum ex substantiâ suâ Pater facit per substantiam Filij quâ illi æqualis est: animæ quippe fiunt participes illius incommutabilis lucis, non corpora. [b] Dictum est, quòd mortui sepeliant mortuos suos: & ibi intelliguntur etiam iniquæ animæ non esse sine aliquâ vitâ; non enim aliter ex eis possent corpora vivere nisi qualicumque vitâ, quâ omninò animæ carere non possunt, unde immortales meritò vocantur: non tamen ob aliud amissâ justitiâ dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum, licet immortaliter qualicumque vitâ viventium verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum, quæ cùm sunt in corporibus, etiam ipsa corpora viva sunt, quæ per seipsa vivere nequeunt. Quapropter si animæ non possunt nisi etiam in seipsis utcumque vivere, quia ex eis vivunt & corpora, à quibus deserta moriuntur: quanto magis vera justitia

[a] *Tract. 23. in Ioan. fin.*

[b] *Epist. 222 ante fin.* Luc. 9. 60.

etiam in seipsâ vivere intelligenda est, ex quâ sic vivunt animæ, ut hâc amissâ mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacumque vitâ non desinant vivere? Ea porrò justitia quæ vivit in seipsâ, proculdubiò Deus est, atque immutabiliter vivit. Sicut autem hæc, cùm sit in seipsâ vita, etiam nobis fit vita cùm ejus efficimur uteumque participes: Ita cùm in seipsâ sit justitia, etiam nobis fit justitia cùm ei cohærendo justè vivimus; & tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cùm sit utique Patris sapientia atque justitia, & semper in seipso sit, quòd *factus sit nobis à Deo sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.*[a] Est planè ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia, quam profecto esurire & sitire, ea nostra est in hâc peregrinatione justitia; &

1. Cor. 1. 30.

Ibid. v. 31.

a *Ibid. inf.*

quâ postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia. Non ergo Deum nostræ justitiæ similem cogitemus; sed cogitemus nos potiùs tantò similiores Deo, quanto esse poterimus ejus participatione justiores. Si ergo cavendum est ne nostræ justitiæ similem putemus Deum, quoniam lumen quod illuminat, incomparabiliter excellentius est illo quod illuminatur: quanto magis caveri oportet ne aliquid inferius & quodammodo decoloratius eum esse credamus quàm est nostra justitia. [a] Neque enim divinorum librorum tantummodò auctoritas esse Deum prædicat: sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat habere se præstantissimum conditorem; qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, quâ viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus

[a] *Lib. 15. de Trin. cap. 4.*

potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus.

a Lib. 2. de libro Arb. cap. 12.

[a] Quapropter nullomodo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam, vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum & publicum lumen præsto esse ac se præbere communiter. [b] Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam quæ supra rationalem animam sit, Deum esse, & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima sapientia. [c] Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum & summè vivere, & cuncta sentire atque intelligere; & mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus

b Lib. de verâ Relig. cap. 31.

c Lib. 15. de Trin. cap. 4.

esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur. [a] Cui dicimus, Pater noster qui es in cælis; non quia ibi est, & hîc non est, qui præsentiâ incorporeâ ubique est totus: sed quia in eis habitare dicitur, quorum pietati adest; & hi maximè in cælis sunt, ubi etiam nostra conversatio est, si nos os nostrum veraciter sursum cor habere respondeat. [b] Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter justos & peccatores, quantum corporaliter inter cælum & terram. Cujus rei significandæ gratiâ, cùm ad orationes stamus, ad orientem convertimur unde cælum surgit, non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit qui ubique præsens est non locorum spatiis, sed majestate potentiæ: sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum

a *Epist. 222. med.*

b *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 5.*

corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste convertitur. Convenit etiam gradibus religionis, & plurimùm expedit ut omnium sensibus, & parvulorum & magnorum benè sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est ut cælum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs credant esse quàm in terrâ; ut cùm aliquando cognoverint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in animâ quàm in corpore etiam cælesti; & cùm cognoverint quantum distat inter peccatorum animas, & justorum, sicut non audebant cùm adhuc carnaliter saperent, eum in terrâ collocare, sed in cælo; sic postea meliori fide vel intelligentiâ magis eum in animis justorum quàm in peccatorum requirant.

Rectè ergo intelligitur quod dictum est, Pater noster qui es in cælis, in cordibus justorum esse dictum, tanquam in templo sancto suo: simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat. [a] Hæc si pro viribus nostris quantum Dominus adjuvit, ritè tractavimus: quando Deum ubique præsentem, & non spatiis distantibus quasi aliquâ mole vel distensione diffusum, sed ubique totum cogitare te extendis; averte mentem ab omnibus imaginibus corporum quas humana cogitatio volvere consuevit: non enim sic sapientia, non justitia, non sic denique charitas cogitatur, de quâ scriptum est: *Deus charitas est.* Cùm verò habitationem ejus cogitas, unitatem cogita congregationemque sanctorum, maximè in cælis; ubi propterea præcipuè dicitur habitare, quia ibi fit voluntas ejus perfectâ eorum in quibus habitat obedientiâ: deinde in terrâ, ubi ædificans habitat domum suam, in fine sæculi dedicandam.

[a] *Epist.* 57. *fin.*

1. Joan. 4. 8.

SANTIFICETUR NOMEN Tuum.

[a] *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 20.*

[a] SAnctum est, quod violare atque corrumpere nefas est. Cujus utique sceleris conatus & voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum naturâ inviolabile atque incorruptibile maneat. [b] Si nos quisquam interroget, quid est quòd petitis ut sanctificetur nomen Dei? Aliquando enim sanctum non est, ut modò sanctificetur? Et tamen nisi vellemus fieri, non peteremus ut fieret. Alia est enim gratulatio, alia oratio. Gratulamur ex eo quod est: oramus ut [c] sit quod nondum est. [c] Quid ergo rogamus? Sanctificetur nomen tuum in illis hominibus qui per infidelitatem nondum habent nomen Dei sanctum: quibus nondum est ille sanctus, qui per se, & in se, & in suis sanctis sanctus est. [d] Nam nomen ipsum Dei nunc usquequaque vulgatum est: sed cognitio no-

[b] *In Psal. 103. Conc. 1. init.*

[c] *Ibid. inf.*

[d] *In Psal. 9. ante med.*

minis est, cùm ille cognoscitur cujus est nomen: non enim propter se nomen est, sed propter id quod significat. [a] Nam quod Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequàm in Christum crederent, non omnimodo esse potuit hoc nomen ignotum: hæc est enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimiùm depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem: [b] Qui prorsus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. Ars enim divina, quâ & cælestia & terrena opera fiunt, cùm ea sint inter se dissimilia, ipsa in omnibus sui similis est, quia in suo quoque genere perficiendo ubique perfecta est. Neque enim universum condit in singulis, sed ad universi complexum condens singula, universam se condendis præbet & singulis, omnia con-

a *Tract. 106. in Ioan. post init.*

b *Lib. 28. cõt. Faust. cap. 5.*

gruenter locis ſuis & ordinibus faciens atque diſponens, & omnibus particulariter atque univerſaliter congrua tribuens. Ecce hîc in iſto quaſi fundo infimo univerſæ creaturę aſpicite animalia quę volant, & natant, & gradiuntur, & repunt. Nempe mortalia ſunt: nempe vita eorum, ſicut ſcriptum eſt, *vapor eſt ad modicum apparens.* Hunc enim modulum ab optimo conditore perceptum tanquam in commune conferunt univerſo pro ſui generis portione complendo, ut cum iſtis imis ſint omnia bona, in quibus ſunt eis ſuperna meliora. Verumtamen attendite, & date mihi unum quàmlibet abjectiſſimum animal, cujus anima oderit carnem ſuam, ac non potiùs nutriat & foveat eam, motuque vitali vegetet, & regat, & quodammodo adminiſtret pro ſui generis exiguitate quoddam univerſum ſuum ad incolumitatem tuendam ſibi conciliatum. Quòd enim rationalis anima caſtigat corpus ſuum, & ſer-

Iacob. 4. 14.

vituti ſubijcit, ne immoderato appetitu terrenorum impediatur à perceptione ſapientiæ : etiam ſic utique diligit carnem ſuam, quam ſibi ad obediendum legitimè ſubdit atque ordinat. [a] Quid in ipsâ carne vitalia viſcera, totius formæ convenientia, membra operandi, vaſa ſentiendi, locis atque officiis ſuis cuncta diſtincta, & concordi unitate contexta, moderatione menſurarum, parilitate numerorum, ordine ponderum; nonne indicant artificem ſuum, Deum verum cui verè dictum eſt, *omnia in menſurâ, & numero & pondere diſpoſuiſti* ? [b] Unde enim iſtis hæc quæ commemoravi niſi ab illo, cujus unitate omnis modus ſiſtitur, cujus ſapientiâ omnis pulchritudo formatur, cujus lege omnis ordo diſponitur ? [c] Interroga mundi ornatum, cæli fulgorem, diſpoſitionemque ſiderum, ſolem diei ſufficientem, lunam noctis ſolatium. Interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus ple-

a *Lib. 21. cõt. Fauſt. cap. 6.*

Sapien. 11. 21.

b *Ibid. inf.*

c *Serm. 55. de verb. Domini c. 2.*

nam, hominibus exornatam. Interroga mare, quantis & qualibus natatilibus plenum! Interroga aëra, quantis volatilibus viget! Interroga omnia, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondent, Deus nos fecit.[a] Mirati sunt homines, Dominum Deum nostrum Jesum Christum de quinque panibus saginasse tot millia: & non mirantur per pauca grana impleri segetibus terras. Quæ aqua erat vinum factum, viderunt homines & obstupuerunt. Quid aliud fit de pluviâ per radicem vitis? Ipse illa fecit, ipse ista: illa ut pascaris, ista ut mireris. Sed utraque miranda sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo insolita, & miratur. Unde est ipse homo qui miratur? ubi erat? unde processit? unde forma corporis? unde membrorum distinctio? unde habitus iste speciosus? de quibus primordiis? De quàm contemptibilibus? Et miratur alia, cùm sit ipse mirator magnum miraculum. Unde ergo ista quæ

[a] *Hom. 32. cap. 3. Math. 14. 20.*

Joan. 2. 20.

quæ vides, nisi ex illo quem non vides? [a] Accedat jam consideratio tua etiam ad animam humanam, cui tribuit Deus intellectum cognoscendi creatorem suum, dignoscendi & distinguendi inter bonum & malum, hoc est, inter justum & injustum. Quanta agit per corpus? Attendite universum orbem terrarum ordinatum in ipsâ humanâ republicâ: quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, conditionibus civitatum, legibus, moribus, artibus. Hoc totum per animam geritur, & hæc vis animæ non videtur, [b] ubi etiam ad imaginem creatoris sui renovatur, ad cujus imaginem factus est homo. Quid erit hæc vis animæ, cùm & corpus hoc induerit incorruptionem, *& mortale hoc induerit immortalitatem*? Si tanta potest per carnem corruptibilem, quid non poterit per corpus spiritale post resurrectionem mortuorum? [c] Ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo ab imis

[a] *Tract. 8. in Ioan. initio.*

[b] *Ibid post initium.*

1. Cor 15. 53. 54.

[c] *In Psalt 144. post med.*

ad ſumma conſcendens, à ſummis ad ima deſcendens, nuſquam interrupta, ſed diſſimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare ergo tota laudat Deum? Quia cùm eam conſideras, & pulchram vides, tu in illâ laudas Deum. [a] Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis quod ſcriptum eſt: *Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus.* Inſania iſta paucorum eſt. Sicut enim magna pietas paucorum eſt, ita & magna impietas nihilominùs paucorum eſt. Hoc autem quod dico turba dicit. [b] Multi non valentes contemplari & diſcernere creaturam locis ſuis & ordine ſuo ſub nutu & juſſu Dei agentem motus ſuos; viſum eſt illis quia ſuperiora omnia Deus gubernat; inferiora verò deſpicit, abjicit, deſerit, ut nec curet iſta, nec regat, ſed caſibus regantur, quomodo poſſunt, quà poſſunt. [c] Hanc habent perniciem cogitationis ſuæ in ſeipſos, ut dicant Deum res humanas non curare, nec inde poſſe

a *Serm. 10. de verb. Domini cap. 2.*

Pſal 13. 1.

b *In Pſal. 148. med.*

c *In Pſ. 109. præfat.*

cogitare mundi hujus Artificem atque Rectorem, quemadmodum quisque mortalis in terra vivat: & ita nec computari se homo putat à Deo. [a] O homo, quomodo te Deus factum non computavit, qui ut fieres antè curavit? Cùm te in ordine rerum conditarum numerari non putas, nulli crede seductori: capilli tui numerati sunt à conditore. [b] Quis disposuit membra pulicis & culicis ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera quam volueris: si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ quâ movetur: pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est quâ sorbet! Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis: lauda magnum. Hoc itaque tene-

a *Ibid. inf.* Math. 10. 30.

b *In Ps.* 148. *med.*

te, fratres mei: nemo vos de fide excutiat, & de sanâ doctrinâ. Qui fecit in cælo Angelum, ipse fecit in terrâ vermiculum: sed Angelum in cælo pro habitatione cælesti: vermiculum in terrâ pro habitatione terrestri. [a] Quis enim alius etiam nunc ista creat, nisi qui nunc usque operatur? [b] Quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt, nec aliquid omnino, sive de mundi elementis, sive de genitoribus, sive de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. [c] Cujus occulta potentia cuncta penetrans incommutabili præsentiâ facit esse quidquid aliquomodo est, inquantumcumque est, quia nisi faciente illo, non tale vel tale esset, sed prorsus esse non posset. [d] Creatoris namque potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque na-

a *Lib. 5. de gen. ad lit. cap. 4.*

b *In Ps. 118. conc. 8. med.*

c *Lib. 11. de civit. Dei. cap. 25.*

d *Lib. 4. de gen. ad litt. cap. 12.*

tura concideret. Neque enim sicut structuram ædium cùm fabricaverit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait: *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quamdam operis ejus, quâ universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret, & nunc operatur: ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus. Aliter autem cogit intelligi cùm ait, usque nunc: ex illo scilicet quo cuncta cùm conderet, operatus est. Et quod scriptum est de sapientiâ ejus, *pertingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: De quâ item scriptum est, quòd motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus; satis apparet rectè intuentibus, hunc ipsum incomparabilem & ineffabilem, & si non possit intelligi, sta-

Ioan. 5. 17.

Sap. 8. 1.

Sap. 7. 28.

bilem motum ſuum rebus eum præbere ſuaviter diſponendis: quo utique ſubtracto ſi ab hâc operatione ceſſaverit, eas continuò perituras. Et illud quod ait Apoſtolus cùm Deum Athenienſibus prædi-
Act. 17. 28. caret, *in illo vivimus, movemur & ſumus*, liquidò cogitatum quantùm humana mens valet, adjuvat hanc ſententiam quâ credimus & dicimus, Deum in iis quæ creavit, indeſinenter operari. Neque enim tanquam ſubſtantia ejus, ſic in illo ſumus, quemadmodum dictum eſt quòd habeat vitam in ſemetipſo: ſed utique cùm aliud ſimus quàm ipſe, non ob aliud in illo ſumus, niſi quia id operatur. Et hoc eſt opus ejus quo continet omnia, &
Sap. 8 1. quo ejus ſapientia pertendit *à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*: Per quam diſpo-
Act. 17. ſitionem *in illo vivimus, movemur, & ſumus*. Unde colligitur, quòd ſi hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus. Claret igitur,

ne uno quidem die ceſſaſſe Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus ſuos naturales quibus aguntur atque vegetantur ut omnino naturæ ſint, & in eo quod ſunt pro ſuo quæque modulo maneant, illicò amitterent, & eſſe aliquid omninò deſinerent ſi eis ſubtraheretur motus ille ſapientiæ Dei, quo diſponit omnia ſuaviter. [a] Ipſe namque operatione quâ nunc uſque operatur, facit ut numeros ſuos explicent ſemina, & à quibuſdam latentibus atque inviſibilibus involucris in formas viſibiles hujus quem aſpicimus decoris evolvant. Ipſe incorpoream corporeamque naturam, illam præpoſitam, iſtam ſubjectam miris modis copulans & connectens, animantem facit. Quod opus ejus tam magnum & mirabile eſt, ut non ſolum in homine, quod eſt animal rationale, & ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atque præſtantius; ſed in qualibet minutiſſimâ muſculâ benè conſideranti ſtupo-

[a] Ioan. 5. 17. Lib. 22. de civit. Dei cap. 24.

Rom. 1. 20. rem mentis ingerat, laudemque pariat creatoris. [a] Hæc & philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt. [b] Tamen quia sine mediatore, id est, sine homine Christo philosophati sunt, quem nec venturum Prophetis, nec venisse Apostolis crediderunt, veritatem detinuerunt, sicut de illis scriptum est, in iniquitate. [c] *Vnus est enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*: Quoniam *non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: & in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. [d] In hoc ergo quod fecit hunc mundum cælo terraque conspicuum; & antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus: in hoc autem quòd non est in injuriis suis, & cum Diis falsis colendus, *Notus in Iudæa Deus*: in hoc verò quòd pater est hujus Christi per quem tollit peccata mundi, hoc nomen ejus priùs occultum

a *Serm. 55. de ver. Domini cap. 2.*

b *Lib. 13. de Trin. cap. 19.*

Rom. 1. 18.

c *Lib. de pecc. orig. cap. 24.*

1. Tim. 2. 5.

Act. 4. 12.

d *Tract. 106. in Ioan. med.*

Ps. 75. 1.

occultum omnibus, nunc manifestavit eis quos dedit ei pater ipse de mundo. [a] Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc usquequaque per diversas gentes innotescendo commendat unius Dei nomen per administrationem filij ejus. [b] Nec omnium est fides qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei, sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum; [c] Non ut nolentes credant (quod absurdissimè dicitur) sed ut volentes ex nolentibus fiant; non sicut facit doctor homo docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei; quod frustra fit nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cùm enim verbis doctor plantat & rigat, possumus dicere, fortè credit auditor; cùm verò dat incrementum Deus, sine dubio credit, & proficit. [d] Cur autem ille credat, ille non credat cùm ambo idem audiunt, et si mi-

[a] *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 5.*

[b] *Epist. 105. post init.*

[c] *Lib. 2. oper. ult. contra Jul. n. 157.*

Phil. 2. 13

[d] *Epist. 105. post init.*

raculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident; altitudo eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: neque propterea ſunt iſta injuſta quia occulta. [a] Cùm igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt prædicatore forinſecùs inſonante, intus à patre audiunt atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque diſcunt; hoc eſt, illis datur ut credant, illis non datur. [b] Loquimur autem nunc de ipſis initiis, cùm homines qui erant averſi & adverſi, convertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem quam non habebant; quod ut fiat in eis, oratur pro eis quamvis non oretur ab eis, ipſi enim *quomodo invocabunt in quem non c ediderunt* ? Cùm verò factum fuerit quod oratur, ei qui fecit

Rom. 11. 33.

Rom. 9. 14.

Ibid. v. 18.

a *Lib. de prad. ſanct. cap.* 8.

b *Epiſt.* 107. *fin.*

Rom. 10. 14.

aguntur gratiæ, & pro eis, & ab eis. [a] Oramus ergo non solùm pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo de quo scriptum est, præparatur voluntas à Deo? [b] Nunquid ubi audieris sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clarâ voce orantem ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen? An etiam hujus fidei sanitati contraria disputabis? Inaniter igitur & perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces; si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctoriè potiùs quàm veraciter magnas cum exultatione agi-

a *Lib. 4. ad Bonif. cap. 9. fin.*

b *Epist. 107. fin.*

c *Ibid. ante med.*

mus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. [a] Ut quid tanto magis eum magnificamus quanto magis nolebant credere quos credidisse gaudemus, si gratiâ Divinâ voluntas in melius non mutatur humana? Apostolus Paulus: *Eram*, inquit, *ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ sunt in Christo, tantùm autem audiebant quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat, & in me magnificabant Deum.* Ut quid magnificabant Deum, si non Deus ad seipsum cor illius viri suæ gratiæ bonitate converterat, quando, ut ipse conficetur, misericordiam consecutus est ut fidelis esset eâ fide quam aliquando vastabat? Ipsum etiam verbum quod posuit, quem nisi Deum hoc tam magnum bonum feciisse declarat? Quid est enim, in me magnificabant Deum, nisi, in me Deum magnificum prædicabant? [b] Sic enim plerumque scriptura loqui-

a *Ibid. post med.* Gal. 1. 22. 23. 24.

Gal. 1. 22. 23. 24.

b *Lib. 83. quæst. 9. 69.*

tur, ut quod ſemper eſt, tunc fieri dicatur in aliquo, cùm in eo cognoſci cæperit. Ita enim dicimus in oratione, *Sanctificetur nomen tuum*; [a] ut quod ſemper apud ſe ſanctum eſt, ſanctum etiam ab hominibus habeatur, id eſt, ſanctè timeatur. [b] Hic timor caſtus eſt, non eum charitas ejicit, ſed aſciſcit, [c] quo timetur offendi qui amatur. Aliter quippe timet adultera virum ſuum, aliter caſta: Adultera, ne veniat; caſta, ne deſerat. [d] Sunt homines qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum Diabolo in igne æterno. Ipſe eſt timor ille qui introducit charitatem. Sed ſic veniat, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times: Non bona deſideras; ſed mala caves. Sed ex eo quòd mala caves, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cùm bona deſiderare cæperis, erit in te timor caſtus. Quis timor caſtus? Ne amittas ipſa bona. Intendite.

Matth. 6. 9.

a *Lib. de ſpir. & lit. cap.* 26.

b *Ep.* 120. *cap.* 2.

c *In Pſ.* 118. *conc.* 12. *med.*

d *Tract.* 9. *in Ep.* 1. *Ioan. med.* Math. 25.

Aliud est timere Deum ne mittat te in gehennam cum Diabolo: aliud est timere Deum ne recedat à te. Ille timor quo times ne in ignem æternum mittaris cum Diabolo, non est castus; non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ: cum autem times Deum ne deserat te præsentia ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras.[a] Si Deus veniens voce propriâ loqueretur nobis (quamquam non tacet per litteras suas,) & diceret homini, peccare vis? pecca: fac quidquid te delectat: quidquid amaveris in terrâ, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat: quem rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem possidere, possideas. Nemo tibi resistat: nemo tibi dicat, quid facis? Nemo, noli facere quod velis: nemo, quare fecisti? Abundent tibi omnia illa terrena quæ concupisti, & vive in illis non usque ad tempus, sed semper; faciem tantùm meam nunquam vi-

[a] *In Ps.* 127. *med.*

debis. [a] Ecce omni istâ terrenâ felicitate, omnibus rebus abundabis: circumfluent te bona temporalia: non illa amittis; non illa deseris. Quid vis amplius? Fleret quidem & gemeret timor castus, & diceret, immò tollantur omnia, & faciem tuam videam. [b] Non servilis, sed castus: gratis amans: non puniri timens ab eo quem tremit, sed separari ab eo quem diligit. [c] Quid est ergo, *Sanctificetur nomen tuum*? [d] Sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. [e] Hoc etiam ab illo petimus, ut sanctificetur nomen ejus in nobis: Nam semper est sanctum. Quomodo autem sanctificatur nomen ejus in nobis, nisi dum nos efficit sanctos? [f] Quod cùm jam per lavacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à fidelibus poscitur, nisi ut in eo quod factum est in nobis perseveretur à nobis. Nam & beatus Cyprianus hoc sic intellexit:

a *Ibid. infr.*

b *in Ps.* 18. *Conc.* 2. *med.* Matth. 6. 9.

c *In Ps.* 103. *Conc.* 1. *imit.*

d *Lib.* 2. *de serm. Domini in monte* c. 5.

e *Serm.* 9. *de diver.* c. 4.

f *Lib. de Corr. & gr. c.* 6.

Exponens quippe eamdem oratio-
Matth. 6. 9. nem : dicimus, inquit, *Sanctificetur nomen tuum* : non quòd optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris ; sed quòd petamus à Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat ? Sed
Levit. 19. 2. quia ipse dixit : *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum* ; id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cæpimus, perseveremus. Ecce glorioſissimus Martyr hoc sentit, quòd in his verbis quotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse cæperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino, ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur.

ADVENIAT REGNUM Tuum.

a *Homil.* 42. *cap.* 2. VEniet, etsi nolumus : sed optare & orare ut veniat

regnum ejus, nihil est aliud quàm optare ab illo ut dignos nos faciat Regno suo, ne fortè, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Multis enim non est venturum quod tamen venturum est. Eis enim venturum est quibus dicitur: *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Illis non veniet, quibus dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Cùm verò dicimus: *veniat regnum tuum,* oramus ut nobis veniat. Quid est, ut nobis veniat? Ut bonos nos inveniat. [a] Ergo & hîc qui jam sancti sunt quid orant nisi ut in eâ sanctitate quæ illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum. Placuit enim Deo, quò maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipso, id est, omnis homo. Unde autem non glorietur caro

Matth. 25. 34.

Ibid v. 41.

Mat h. 6. 10.

a *Lib. de don. persev. c. 2.*

b *Lib. de Cor. & gr. c. 12.*

coram ipso, nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium; propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis: [a] Qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas Divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideo sic velint quia Deus operatur ut velint. Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus (in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat,) ipsis relinqueretur voluntas sua ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent;

[a] *Ibid.*

inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei; cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei; sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent,

& hoc deserere invictissimè nolent. [a] Ipsi sunt illi prædestinati, & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, *ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* [b] Hîc fortasse non incongruè quæritur æterna ipsa vita quid sit. Sed ejus largitorem potiùs audiamus: *Hæc est,* inquit, *vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Æterna igitur vita, est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quàm sint perversi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere ut perfecti simus, cùm perfectorum ipsa sit præmium. Quid ergo agendum est? Quid, quæso, nisi ut eum ipsum quem cognoscere volumus, priùs plenâ charitate diligamus? [c] Bonum enim nostrum, de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullum

[a] *Lib. de Corr. & grat. cap. 9.*

Ioan. 3. 16.

[b] *Lib. de mor. Eccl. cap. 25.*

Ioan. 17. 3.

[c] *Lib. 9 de Civit Dei. cap. 4.*

est aliud quàm illi cohærere, cujus unius anima int llectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in totâ animâ, & in totâ virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur, duci, & quos diligimus, ducere. Sic complentur duo illa præcepta in quibus tota lex pendet & Prophetæ: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ*; & *: Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset: non enim qui se diligit, aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis, est adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere seipsum, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera reli-

Matth. 22. 37.

Matth. 22. 7. Ibid. v. 39.

gio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus. [a] Tunc quippe est optimus homo, cùm totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus non ad incommutabile aliquid convertitur: & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur. Si ergo teipsum non propter teipsum debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum; Deum verò ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ mente*; ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea

a *Lib. 1. de doctr. christ. cap. 22.*

Math. 22. 39. Ib. v. 37.

ipsa quæ confers. Cùm autem ait, *toto corde, totâ animâ, totâ mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut aliâ re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum: Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. [a] Hoc est gratis amare, non quasi propositâ acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa, Deus ipse erit quem gratis diligis, & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet, sicut Philippus desiderabat cùm diceret: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* [b] Qui aliud præmium petit

[a] *In Ps.* 134. *ante med.*

Ioan. 14. 8.

[b] *In Ps.* 72. *fin.*

à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est.[a] In illâ igitur contemplatione *Deus erit omnia in omnibus*, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed soloipso illustrari perfruique sufficiet; ideoque ille in quo *Spiritus* interpellat *gemitibus inenarrabilibus, unam*, inquit, *petij à Domino; hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini.* Contemplabimur enim Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, cùm *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus tradiderit Regnum Deo & Patri*, ut jam non interpellet pro nobis mediator & sacerdos noster, filius Dei & filius hominis; sed & ipse inquantum sacerdos est, assumptâ propter nos servi formâ, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, & cui

[a] *Lib. 1. de Trin. cap. 10.*

1. Cor. 15. 28.

Rom. 8. 26.

Psal. 26. 4.

1. Tim. 2. 5. & 1. Cor. 15. 24.

Heb. 2. 8.

cui subejecit omnia ; ut inquantum Deus est, cum illo nos subjectos habeat ; inquantum sacerdos, nobiscum illi subjectus sit. [a] Hoc qui credunt, digni habebuntur perduci à fide ad speciem, id est, ad ipsam visionem, quò perducens dictus est tradere regnum Deo & Patri. Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus ; pro quibus nunc interpellat, tunc autem illic eos sibi faciens inhærere, ubi æqualis est patri, non jam rogabit patrem pro eis, *Ipse enim*, inquit, *pater amat* vos. [b] Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est ; consecutio autem ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur verò, non cùm hoc omninò efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico & intelligibili modo contingentes, ejusque veritate & sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet. [c] Sed quan-

a *Ibid.*

Ioan. 16. 27.

b *Lib. de mor. Eccl. cap. 11.*

c *Serm. de divers. cap. 7.*

do dicitur, quia Deum habebimus, & ipso solo contenti erimus, immò ipso solo sic delectabimur, ut nihil aliud requiramus; [a] quasi angustatur anima, quæ consuevit multis delectari; & dicit sibi anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicita, visco malarum cupiditatum involutas pennas habens ne volet ad Deum; dicit sibi: quid mihi erit ubi non manducabo, ubi non bibam; ubi cum uxore meâ non dormiam? Quale mihi gaudium erit? [b] Infelix, verba ista sunt infirmitatis, non facultatis. Non ergo indigebimus, & ideo beati erimus. Pleni enim erimus, sed Deo nostro: Et omnia quæ hîc pro magno desideramus, ipse nobis erit. Pro magno cibum hîc quæris; Deus tibi cibus erit. Amplexum carnis hîc quæris: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Divitias hîc quæris; quomodo tibi deerunt omnia, quando illum habebis, qui fecit omnia? Et ut verbo Apostoli te

a *Ibid. inf.*

b *Ibid. cap. 8.*

Psal. 72. 28.

faciam ſecurum ; de illâ vitâ hoc dixit , *ut ſit Deus omnia in omnibus.* [a] Noli ergo talia ſperare tibi danda à Deo, qualia hîc jubet te contemnere. [b] Nihil eorum eſt apud Angelos. Unde gaudent Angeli, niſi unde Dominus ait : *Neſcitis quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris ?* Si ergo ad faciem patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara : aut ſi invenis melius quàm videre faciem Dei ; illuc te præpara. Væ tali amori tuo, ſi vel ſuſpicaris aliquid pulchrius, quàm eſt ille à quo eſt omne pulchrum , quod te teneat ne illum cogitare merearis. [c] Non tibi proponas quia aliquid tale eſt Deus, quale vides in cælo, vel lunam , vel ſolem , vel ſidera , vel quidquid fulget & ſplendet in cælo. Non hoc eſt Deus. [d] Conamini cogitare, fratres, lumen veritatis, lucem ſapientiæ ; quomodo ubique præſens eſt omnibus. Conamini cogitare lumen juſtitiæ ; præſens eſt enim omni cogitanti. [e] Sed non

1. Cor. 15. 28.

a *In Pſ.* 43. *med.*

b *Ibid. inf.*

Matt. 18. 10.

c *Serm.* 44. *de diverſ.* c. 4.

d *Ib.* c. 6. 7.

e *Ib. inf.*

potestis; palpitat mentis acies. Purgetur, & videat. Ut autem purgetur & videat, credat ut purgari mereatur. Quod ergo videre non potestis, differte ut curemini, & videre possitis: Non tamen tale aliquid in futuro sæculo cogitetis, quale nunc videtis: quia si tale aliquid cogitaveritis, & tale aliquid dilexeritis, cum ipso mundo vultis ire extra mundum, tollere vobiscum vultis mundum. Non erunt ibi ista. Lux ibi erit quædam, unde hoc rorat nescio quid, quod modò intelligimus, & gaudemus.

x Ser. 121. de diver. cap. 25.

x Tenete ergo Christum, fratres; tenete fidem, tenete viam. Ipsa vos perducet ad id quod videre modò non potestis. In illo enim capite apparuit quod speretur in membris: in illo fundamento demonstratum est quod in nostrâ ædificetur fide, ut postea perficiatur in specie: ne fortè cùm putatis vos cernere, appareat vobis aliquid per imaginem falsam quasi esse quod non est, & dimissâ viâ in ex-

rorem devietis, & ad patriam quò ducit via, id est, ad speciem quò ducit fides, non perveniatis. [a] Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quod enim cognituri sumus, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre. [b] *Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus.* Unde? *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Magna promissio, sed merces est fidei. Quæris mercedem? Opus præcedat. Si credis, mercedem exige fidei. Si autem non credis, fidei mercedem quâ fronte quæris? [c] Ergo visuri sumus quandam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; visionem quamdam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudi-

a *Tract.* 40. *in Ioan. post med.* 1. Cor. 2. 9.

b *Ib. inf.* 1. Ioan. 3. 2.

c *Tract.* 4. *in Ep.* 1. *Ioan. med.* Isa. 64. 4.

nem maris & aëris, pulchritudinem solis & lunæ, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem Angelorum; omnia superantem, quia ex ipsâ pulchra sunt omnia: Quid ergo nos erimus quando hoc videbimus? Quid nobis promissum est? 1. Ioan. 3. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quomodo potuit, lingua sonuit; cætera corde cogitentur. Quid enim vel ipse Joannes dixit ad comparationem rei quæ est, vel à nobis dici potest, hominibus longè imparibus meritis ipsius? [a] Illum interrogate qui cæpit in vobis habitare. Dico tamen & ego quod inde sentio. [b] Habent omnes animæ, cùm de sæculo exierint, diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ; malæ tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres,

a *Serm. 100. de diver. c. 5.*

b *Tract. 49. in Ioan. med.*

boni fideles; [a] ubi non eis dicitur, implete quod jussi; sed, accipite quod promisi. Quâ nunc jucunditate spiritaliter epulantur; quàm securi in Domino, & quàm sublimi honore gloriantur, quis terreno docere possit exemplo? [b] Veniet autem retributionis dies, ubi corporibus redditis totus homo recipiat quod meretur. Ubi & illius divitis membra, quæ quondam temporali purpurâ decorabantur, æterno igne torreantur, & caro pauperis ulcerosi mutata inter Angelos fulgeat; quamvis etiam nunc ille guttam ex digito pauperis apud inferos sitiat, & ille in sinu justi deliciosè requiescat. [c] Nunc jam quid acturi sint in corporibus immortalibus atque spiritalibus sancti, non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritaliter jam vivente ([d] tam potenti enim naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus plenissimâ beatitudine quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod

[a] Ser. 103. de diver. cap. 4.

[b] Ib. c. 5.

[c] Lib. 22. de civit. Dei. cap. 29.

[d] Ep. 56. antemed.

est corpus, non beatitudo quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor;) [a] quantum Dominus dignitatus fuerit adjuvare, videamus. Et illa quidem actio, vel potiùs quies atque otium quale futurum sit, si verum velim dicere, nescio: non enim hoc unquam per sensus corporis vidi. Si autem mente, id est, intelligentiâ vidisse me dicam, quantum est, aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam? Ibi est enim pax Dei, quæ, sicut ait Apostolus, superat omnem intellectum. Quem nisi nostrum, aut fortasse etiam omnium sanctorum Angelorum? Non enim & Dei. Si ergo sancti in Dei pace victuri sunt, profectò in eâ pace victuri sunt, quæ superat omnem intellectum. [b] Sed quia & nos pro modulo nostro pacis ejus participes facti summam in nobis atque inter nos & cum ipso pacem, quantum nostrum summum est, obtinebimus; isto modo pro suo modo

[a] *Lib. 22. de civit. Dei cap. 29.*

Philip. 4. 7.

[b] *Ibid. inf.*

modo sciunt eam sancti Angeli; homines autem nunc longè infra, quantumlibet provectu mentis excellant. [a] Quapropter cùm ex me quæritur, quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali; non dico quod jam video; sed dico quod credo secundùm illud quod in psalmo lego: *Credidi propter quod locutus sum.* Dico itaque quòd visuri sint Deum in ipso corpore; sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, & quæ sunt in eâ, non parva quæstio est. [b] Ratiocinatio quippe illa Philosophorum, quâ ita disputant mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, id est, corporalia; ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsa mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profectò certum esset per oculos corporis etiam spiritalis nullo modo posse videri Deum. Sed istam ratiocinationem & vera ratio & prophetica irridet authoritas.

a *Ibid. inf.*

Ps. 115. 1.

b *Ibid. inf.*

Quis enim ita sit aversus à vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista nescire? Nunquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere? [a] Deinde vitam quidem suam quâ nunc vivit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facitque viventia, interiore sensu quisque, non per corporeos oculos novit; aliorum verò vitas, cùm sint invisibiles, per corpus videt: Nam unde viventia discernimus à non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitas autem sine corporibus, corporeis oculis non videmus. Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cæli novi, & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, & quæ conspiciemus quaquaversum oculos duxerimus, clarissimâ perspicuitate videamus: non sicut nunc *invisibilia*

[a] *Lib. 22. de civit. Dei cap. 29.*

Rom. 1 20.

Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, ubi plus in nobis valet fides quâ credimus; quàm rerum corporalium ſpecies quam per oculos cernimus corporales: ſed ſicut homines, inter quos viventes motuſque vitales exerentes vivimus, mox ut aſpicimus, non credimus vivere, ſed videmus, cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remotâ omni ambiguitate conſpicimus; ita quacumque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tantâ excellentiâ menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur; quod ullis exemplis, ſive ſcripturarum teſtimoniis divinarum vel difficile vel impoſſibile eſt oſtendere. Aut, quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis

1.Cor.13. 11. Ibid.v.9.

erit notus atque conſpicuus, ut videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cælo novo, & in terrâ novâ, atque in omni quæ tunc fuerit, creaturâ; videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes noſtræ invicem nobis: tunc enim implebitur quod Apoſtolus, cùm dixiſſet, *Nolite ante tempus judicare quicquam*; mox addidit, *donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo.* [a] Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus? Nam quid aliud agetur ubi neque ullâ deſidiâ ceſſabitur, neque ullâ indigentiâ laborabitur, neſcio. Admoneor etiam ſancto cantico, ubi lego, vel audio, *Bea-*

1. Cor. 4. 5.

a *Lib. 22. de civit. Dei cap. 30.*

ti qui habitant in domo tuâ, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios, & motus distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus jam sum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinsecùs & extrinsecùs per corporis cuncta dispositi; & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione succendent. Qui motus illîc talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen est motus, & status, sicut ipsa species, decens erit quicumque erit, ubi quod non decebit non erit. Certè ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet Psal. 83. 5.

aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quiſquam nec adulatione laudabitur: Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; ſed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Vera pax ibi erit, ubi nihil adverſi nec à ſeipſo nec ab alio quiſquam patietur. Præmium virtutis erit ipſe qui virtutem dedit, eique ſeipſum, quo melius & majus nihil poſſit eſſe, promiſit. Quid eſt enim aliud quod
Levit 26. 12. per Prophetam dixit, *Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs*, niſi, ego ero unde ſatientur; ego ero quæcumque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur
1. Cor. 15. 28. quod ait Apoſtolus: *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabi-

tur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis. Cæterùm qui futuri sint pro meritis præmiorum, etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamque nollet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit, obstrictus; quàm nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cùm membrum utrumque contineat totius corporis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat ne velit amplius. Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: Magis quip-

pe erit liberum, à delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. [a] Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius civitatis, & una in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono; fruens indesinenter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit ingrata; quantum enim attinet ad scientiam rationalem, memor præteritorum etiam malorum suorum; quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. [b] Ibi vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus, & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis? [c] Hoc piorum præmium est, cujus adipiscendi spe vitam istam temporalem atque

[a] *Lib. 22. de civit. Dei cap. 30.*

[b] *Ib. inf.*

[c] *Epist. 52. post init.*

mortalem non tam delectabiliter quàm tolerabiliter ducimus, & mala ejus tunc bono consilio & divino munere fortiter ferimus, cùm bonorum æternorum fideli Dei promissione, & fideli nostrâ expectatione gaudemus. Ad hoc nos Apostolus exhortans ait: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Rom. 12. 12.
Ostendit enim quare in tribulatione patientes, præmittendo: spe gaudentes. [a] Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera vita beata nos orare docuit. [b] Quod quare faciat, qui novit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, movere animum potest, nisi intelligamus quòd Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare; sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quò possimus capere quod præparat dare: Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium

a *Ep.* 121. *cap.* 8.

b *Ib. inf.*

c *Tract.* 4. *in Ep.* 1. *Ioan. med.*

est. Quod autem desideras, nondum vides; sed desiderando capax efficeris, ut cùm venerit quod videas, implearis. [a] Tanto quippe illud, quod valde magnum est, quod *nec oculus vidit*; quia non est color; *nec auris audivit*, quia non est sonus; *nec in cor hominis ascendit*, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quanto id & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs. In ipsâ ergo fide, & spe, & charitate continuato desiderio semper oramus: sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acriùs excitemus: dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apostolus, *sine intermissione orate*, quid est aliud, quàm beatam vitam, quæ

a Ep. 121. cap. 8. & 9.

1. Cor. 2. 9.

1. Cor. 5 17.

nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus; & oremus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere; ne quod tepescere cæperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur. [a] Adhuc est fortasse quod quæras; cur Apostolus dixerit: *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus*: Neque enim ullo modo credendum est, vel ipsum, vel quibus ista dicebat, Dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temerè potuit nec mendaciter dicere, nisi quia molestiæ tribulationesque temporales plerumque prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam,

[a] *Ibid. cap. 14.* Rom. 8. 26.

cui probatæ & exercitatæ clarior merces uberiorque servatur, vel ad quæcumque flagellanda & abolenda peccata : tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari. [a] In talibus ergo *quid oremus sicut oportet, nescimus.* Unde si aliquid contrà quàm oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potiùs oportuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuerit, minimè dubitare debemus. Nam & hujusmodi exemplum præbuit nobis ille mediator, qui cùm dixisset : *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste,* humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformans ; continuò subjecit : *Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Unde non immeritò *per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Quisquis autem illam unam petit à Domino, & hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet ne fortè obsit cùm acceperit, sine quâ

a Ep. 121. cap. 14. Rom. 8. 26.

Matth. 26. 39.

Ibid.

Rom. 5. 19.

Ps. 26. 4.

nihil prodest quidquid aliud sicut optaret, acceperit. Ipsa est enim una vera & sola beata vita, ut contemplemur Domini delectationem in æternum, immortales atque incorruptibiles corpore & spiritu. Propter hanc unam cætera requiruntur, & non indecenter petuntur. Istam quisquis habuerit, omnia quæ vult habebit, nec aliquid ibi velle habere poterit, quod non decebit. Ibi quippe est fons vitæ, quem sitire nunc oportet in oratione, quamdiu in spe vivimus, & quod speramus nondum videmus, in protectione alarum ejus ante quem est omne desiderium nostrum, ut *inebriemur ab ubertate domus ejus, & torrente voluptatis ejus potemur, quoniam apud eum est fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen*; quando satiabitur in bonis desiderium nostrum, & nihil erit ultrà quod gemendo quæramus, sed quod gaudendo teneamus. Verumtamen quia ipsa est pax quæ præcellit omnem intelle- Psal. 35. 9. 10.

ctum ; etiam ipſam in oratione poſcendo , quid oremus ſicut oportet neſcimus : quod enim ſicuti eſt cogitare non poſſumus , utique neſcimus ; ſed quidquid cogitanti occurrerit , abijcimus , reſpuimus , improbamus ; non hoc eſſe quod quærimus , novimus , quamvis illud nondum quale ſit noverimus. Sed ipſe *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid eſt autem , interpellat , niſi interpellare nos facit ? Indigentis enim certiſſimum indicium eſt interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere Spiritum ſanctum : ſed ita dictum eſt, interpellat , quia interpellare nos facit , nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum. Sicut illud in Evangelio : *Non enim vos eſtis qui loquimini ; ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt , ut ipſe facere di-

a *Epiſt.* 105. *ante med.*

Rom. 8. 26.

Matth. 10. 20.

ceretur, quod ut faciamus facit.
[a] Attendant ergo quomodo fallun-
tur qui putant esse à nobis, non da-
ri nobis ut petamus, quæramus,
pulsemus; & hoc esse dicunt quòd
gratia præceditur merito nostro,
ut sequatur illa; cùm accipimus
petentes, & invenimus quærentes,
aperiturque pulsantibus. Nec vo-
lunt intelligere, etiam hoc divini
muneris esse ut oremus, hoc est,
petamus, quæramus, atque pulse-
mus. *Accipimus enim spiritum*
adoptionis filiorum, in quo clama-
mus Abba, Pater. [b] Nonne ali-
quando ipsa oratio nostra sic tepida
est, vel potiùs frigida, & penè
nulla, immò omnino interdum
nulla, ut neque hoc in nobis cum
dolore advertamus? Quia si vel
hoc dolemus, jam oramus. Quid
ergo aliud ostenditur nobis, nisi
quia & petere, & quærere, & pul-
sare ille concedit, qui ut hæc
faciamus jubet? Igitur *non volen-*
tis, neque currentis, sed miseren-
tis est Dei; quandoquidem nec

[a] *Lib. de dono persever. cap. 23.*

Rom. 8. 15.

[b] *Lib. 1. quæst. ad simplic. q. 2. fin.*

Rom. 9. 16.

velle nec currere nisi eo movente atque excitante poterimus. [a] Nam si propterea solùm dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia voluntas hominis sola non sufficit ut justè rectèque vivamus, nisi adjuvemur misericordiâ Dei: Potest & hoc modo dici, igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle nisi Deus misereatur; illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus. [b] Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas? De quâ Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens: *Charitas ex Deo est.* Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc

[a] *Ib. med.*

Rom. 9. 16.

[b] *Lib. 2. ad Bonif. cap. 9.*

1. Ioan. 4. 7.

hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum: *Quoniam misericordia ejus præveniet me*; Et ipse est cui fideliter veraciterque cantatur: *Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis.* Et quid hîc aptiùs intelligitur, quàm ipsa de quâ loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiscì incipit, quando dulcescere cæperit. Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis. In quâ si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus, dictum est, *Misericordia ejus præveniet me*; ut perfi- Psal. 58. 11. Psal. 20. 4. Psal. 58. 11.

Psal. 22 3. ciamus, dictum est, *Misericordia ejus subsequetur me.*

FIAT VOLUNTAS TUA, sicut in cælo, & in terrâ.

a *Serm. 48. de diver. cap. 5.*

[a] SI non illud tu dicas, non faciet Deus voluntatem suam? [b] Voluntas Dei, ipsa est lex Dei, [c] ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. [d] Deus autem creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ. Sed nec ipse homo contra naturam quicquam facit, nisi cùm peccat. Qui tamen supplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. Quodlibet horum fit, naturalis ordo servatur, si non ab animâ, certè à Deo. [e] In psalmo canitur: *Deus autem noster in cælo* & in terrâ *omnia quæcumque vo-*

b *In Ps. 36. conc. 3. post. init.*

c *Lib. 22. cõt. Faust. cap. 27.*

d *Lib. 16. c. 3.*

e *Enchiridii cap. 95. 96.* Psal. 113. 11.

luit , fecit : Quod utique verum non est , si aliqua voluit, & non fecit ; & quod est indignius , ideò non fecit quoniam ne fieret quod volebat omnipotens , voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid , nisi omnipotens fieri velit , vel sinendo ut fiat , vel ipse faciendo. Nec dubitandum est , Deum facere benè , etiam sinendo fieri quæcumque fiunt malè. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profectò bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt , inquantum mala sunt non sint bona : tamen ut non solùm bona , sed etiam sint & mala, bonum est ; nam nisi esset hoc bonum ut essent & mala , nullomodo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui proculdubiò quàm facile est quod vult facere , tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus , periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium , quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Ne-

que enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. [a] Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cùm Angelica & humana natura peccasset, id est, non quod ille sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem quâ factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, benè utens & malis tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos justè prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benignè prædestinavit ad gratiam: quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei nullomodo id efficere valuerunt: hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque *magna opera Domini exquisita in*

[a] *Enchiridii cap. 100.*

Psal. 110. 2.

omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè. [a] Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cujus vult misereatur, sive per judicium quem vult obduret; nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quicquam facit, & omnia quæcumque vult facit: Quoniam & illius Jerusalem filios quæ interfecit Prophetas, & lapidavit missos ad se, quamvis ipsâ nolente collegit ipse quos voluit, & ante incarnationem suam, sicut ipsos Prophetas, & posteaquam *Verbum caro factum est*, sicut Apostolos & hominum millia qui & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum posuerunt: Omnes quippe illi filij sunt Jerusalem nolentis ut colligerentur, qui tamen illâ nolente collecti sunt; de quibus dicit:

a *Enchiridii cap.* 102.

Rom. 9. 18. Psal. 113. 11.

b *Epist.* 106. *post med.* Matth. 23. 37.

Ioan. 1. 14. Act. 4. 35.

Matth. 12. 27. *Si ego in Beelzebud ejicio dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt?*

a *Enchiridii cap.* 103. [a] Ac per hoc cùm audimus, & in

1. Tim. 2. 4. sacris litteris legimus quòd velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideò debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum

1. Tim. 2. 4. est, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, tanquam diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quòd nullus fiat nisi quem velit; & ideò sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit; de orando quippe Deo agebat Apostolus ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio

Ioan. 1. 9. scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem*; non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certè sic dictum est:

Qui omnes homines vult salvos fieri ; non quòd nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecissent; sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideò faciat, quia omnipotens velle 1. Tim. 2. 4.

inaniter non potest quodcumque voluerit? Præceperat enim Apostolus, ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat,
1.Tim.2. 2. *pro regibus, & iis qui in sublimitate sunt*, qui putari poterant fastu & superbiâ sæculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere: proinde dicens, hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, id est, ut etiam pro talibus oretur; statim ut desperationem tolle et, addi-
1. Tim.2 4. didit: *Qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: Hoc quippe Deus bonum judicavit ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium: quod utique jam videmus impletum. [a] Potest etiam sic intelligi quòd *omnes homines Deus vult salvos fieri*, quoniam nos facit velle; sicut *misit spiritum filij sui clamantem, Abba, Pater*, id est, nos clamare facientem; [b] & quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum

a. *lib. de Corr. & Gr. cap. 15.*
1. Tim. 2. 4.
Gal. 4. 6.
Rom. 8 15.
b. *Enchiridii cap. 103.*

voluisse

voluisse fieri, factumque non esse: Qui sine ullis ambiguitatibus si *in cælo* & in terrâ, sicut & veritas cantat, *omnia quæcumque voluit fecit*, profectò facere noluit quodcumque non fecit. [a] Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. [b] Secundùm hanc ergo voluntatem quâ Deum velle dicimus; quod alios efficit velle à quibus nesciuntur futura, multa vult nec facit. Multa enim volunt fieri sancti ejus ab illo inspiratâ sanctâ voluntate, nec fiunt, sicut orant pro quibusdam piè sancteque, & quod orant non facit, cùm ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto Spiritu suo fecerit: ac per hoc quando secundùm Deum volunt, & orant sancti ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere,

Psal. 113. 11.

a *Lib. de Corr. & gr. cap.* 14.

b *Lib. 22. de civit. Dei cap.* 1. & 2.

vult Deus & non facit; ut ipsum dicamus velle, qui ut velint isti facit. Secundùm illam verò voluntatem suam quæ cum ejus præscientiâ sempiterna est, profectò
Ibid. *in cælo* & in terrâ *omnia quæcumque voluit*, non solùm præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit. [a] Non est itaque dubitandum, voluntati Dei qui *in cælo* & in terrâ *omnia quæcumque voluit fecit*, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult facit. Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate; ut etiam Deo valerent resistere: qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cor-

a *Lib. de Corr. & gr. cap. 14.* Psal. 113. 11.

dium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.

[a] Utitur ergo Deus benè cordibus malis ad id quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitiâ qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio quod inolevit ex arbitrio voluntatis; eâ tamen qualitate malâ ut huc vel illuc moveatur, cùm sive huc sive illuc malè moveatur, causis fit quibus animus propellitur: quæ causæ ut existant vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occultâ providentiâ justissimâ plane & sapientissimâ universum quod creavit disponentis & administrantis Dei.

a Lib. quæst. super Exod. q. 18.

[b] Proposito quippe lucro, verbi gratiâ, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor movetur, ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causæ ve-

b Ib. inf.

niunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præteritâ voluntate. [a] Est ergo in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. [b] Sed quæ sit distributio judicantis & miserentis Dei; cur alius sic, alius autem sic, occultis fit causis, justis tamen. Non tamen ideò nescimus omnia ista judicio aut misericordiâ Dei fieri, licet in abdito positis mensuris, & numeris, & ponderibus, quibus omnia disponuntur à Deo creatore omnium quæ naturaliter fiunt, nec auctore sed tamen ordinatore etiam peccatorum, ut ea quæ peccata non essent nisi contra naturam essent, sic judicentur & ordinentur, ne universitatis naturam turbare vel

[a] *Lib. de præd. sanct. cap. 16.*

[b] *Lib. 22. cõt. Faust. cap. 78.*

turpare permittantur meritorum suorum locis & conditionibus deputata: [a] Hominum autem rectam voluntatem divinæ legi conjungi, inordinatam verò cupiditatem divinæ legis ordine coërceri, ut nec bonus aliud quàm præcipitur velit, nec malus amplius quàm permittitur, possit, ita sanè ut non impunè possit quod injustè voluerit. Ac per hoc in omnibus quæ humana infirmitas horret aut timet, sola iniquitas jure damnatur. Cætera sunt vel tributa naturarum, vel merita culparum. Fit autem homo iniquus cùm propter seipsas diligit res propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res propter seipsas diligendas. Sic enim, quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet. [b] Lex verò æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, [c] quâ justum est, ut omnia sint ordinatissima. [d] Et apud Deum quidem disposita & fixa sunt omnia, nec aliud facit quasi consi-

a *Ibid.*

b *Ibid. cap 27.*
c *Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.*
d *In Psal. 105. ante fin.*

lio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præscivit: sed in creaturæ temporalibus motibus quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus quasi repentinâ voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum causis consilij sui secretissimi immutabilitate disposuit, quâ suis quæque temporibus agnita agit. Ita & præsentia facit, & futura jam fecit. Et ad hæc quis idoneus? [a] Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei à voluntate hominis. [b] Regula est enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quò te convertas, & corrigas pravitatem tuam; habes unde corrigas quod in te tortum est. Quid autem volunt homines? Parum est quia voluntatem suam tortuosam habent, etiam volunt voluntatem Dei tortuosam facere secundùm cor suum, ut hoc faciat Deus quod ipsi volunt, cùm ipsi hoc debeant facere quod Deus vult. [c] Unde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens; docens nos

[a] *In Psal. 32. Conc. 1. init.*

[b] *In Psal. 93. post med.*

[c] *In Psal. 32. Conc. 1. init.*

vivere, & præstans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem, in quâ suam figuravit & nostram, quia caput nostrum est, & ad eum, sicut nostis, tanquam membra utique pertinemus. *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat à me calix iste.* Hæc humana voluntas erat proprium aliquid & tanquam privatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, ut quicquid in illo aliquantùm curvum esset, ad illum dirigeret qui semper est rectus: *Verùm non quod ego volo*, ait, *sed quod tu Pater.* Sed quid possit mali velle Christus? Quid postremò aliud posset velle quàm pater? Quorum una est divinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex personâ hominis transfigurans in se suos, quos in se transfiguravit cùm ait: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*; quos in se transfiguravit cùm furenti & sanctos persequenti Saulo clamavit desuper quem nemo tangebat: *Saule, Saule quid me per-*

Matth. 26. 39.

Ibid.

Matth. 25. 35.

Act. 9. 4.

sequeris? Ostendit quandam hominis propriam voluntatem; ostendit, & correxit te. Ecce vide, inquit, te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati; conceditur humanæ infirmitati aliquid proprium velle. Difficile est ut non tibi contingat. Sed statim cogita qui sit supra te: illum supra te, te infra illum: illum creatorem, te creaturam: illum dominum, te servum: illum omnipotentem, te infirmum: & corrigens te subjungensque voluntati ejus, ac dicens: *Verùm non quod ego volo, sed quod tu* vis, Pater:[a] Tu fac quod vult Deus; noli Deum velle facere quod vis tu;[b] & invenies rectum à quo te depravasti.[c] Quicquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram. Sic tristitiam ergo voluntate

Matth. 39.

a *In Ps.* 124. *præf.*

b *In Ps.* 100. *med.*

c *In Ps.* 93. *post med.*

ostendit in se, ut si fortè surrepserit tibi humana infirmitas, & cæperit aliud velle quàm Deus vult, videas pravitatem cordis tui extra regulam, figas illud ad regulam, & dirigatur in Deum cor tuum quod in homine cæperat esse pravum. Sic ergo Dominus te ostendens dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; & dixit: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Matth. 26. 38. Ibid. v. 39. Sed statim fac quod ideò fecit ut te doceret: *Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis*, Pater. Matth. 26 39. [a] Quid est ergo; fiat voluntas tua? Fiat in me ut non resistam voluntati tuæ. Ergo & hîc pro te oras, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fiat à te. [b] Nam voluntas Dei necesse est ut fiat. Voluntas Dei est ut regnent boni, damnentur mali. [c] Sive ergo benè sit tibi, sive malè, fiet in te; sed fiat & à te. [d] Quid est autem: *In cælo & in terrâ*: vel, *sicut in cælo ita & in terrâ?* Matth. 6. 10. Faciunt Angeli voluntatem tuam; faciamus & nos. [e] Serviunt tibi

a *Serm.* 48. *de diverſ. cap.* 5.

b *Ser.* 9. *de diverſ. cap.* 6. *in compl.*

c *Ibid. inf.*

d *Ibid.*

e *Homil.* 42. *cap.* 3.

Angeli in cælo; nos serviamus tibi in terrâ. Non te offendunt Angeli in cælo; non te offendamus in terrâ. Quomodo illi faciunt voluntatem tuam, sic faciamus & nos. Et hîc quid oramus nisi ut boni simus? [a] Ut autem homines sint boni, quis facit nisi ille qui dixit: *Visitabo eos*, ut eos bonos faciam? Et qui dixit: *Spiritum meum dabo vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* [b] Non solùm enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat; sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur; quòd possumus benè agere, Dei est; quòd autem agimus, nostrum est; cùm dicat Apostolus orare se ad Deum pro eis ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum est faciant? Non enim ait, *Oramus* ut possitis nihil

[a] *Lib. 4. ad Bonif. cap. 6.*

Ieiem 11. 21. Ezech. 36. 27.

[b] *Lib. de gra. Christi cap. 25.*

mali facere; sed, *ne quid faciatis mali*; nec, ut possitis bonum facere; sed, *ut bonum faciatis*; quoniam de quibus scriptum est: *quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei*: profectò ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. [a] Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia ejus præveniens nos. [b] Iterum, quomodo intelligitur, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terrâ?* Sancti omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes Apostoli, spiritales omnes tanquam cælum sunt Domino: nos autem in comparatione eorum, terra sumus. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terrâ*; sicut in illis, ita & in nobis; [c] ut quomodo tibi serviunt spiritales, sic tibi mutati in melius serviant & carnales. [d] Item, *fiat voluntas tua*, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis; *sicut in cælo, & in terrâ*, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei cùm obtem-

2. Cor. 13. 7.

Rom. 8. 14.

a *Lib. 4. ad Bonif. cap. 6.*

b *Serm. 9. de diver. cap. 6.* Matth. 6. 10.

c *Ser. 48. de diver. cap. 5.*

d *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 6.* Matth. 6. 10.

peratur præceptis ejus ipse Dominus dicit cùm ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit*; & sæpe: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit*; & cùm ait: *Ecce mater mea, & ecce fratres mei*; &, *quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est & frater, & mater, & soror.*

Ioan. 4. 34.

Ioan. 6. 38.

Matth. 12. 49. 50.

[a] Faciunt enim homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus; quando autem ita faciunt quod volunt, ut tamen sequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem suam, quamvis quod volunt faciant. Volens fac quod juberis, atque ita & hoc facies quod vis, & non voluntatem tuam facies, sed voluntatem Dei.

[a] *Tract. 19. in Ioan. fin.*

Serm. 9. de diver. cap. 6. in suppl.

[b] Et aliter benè intelligimus, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terrâ.* Accepimus præceptum Dei: & placeat nobis, placeat menti nostræ. Cùm enim condelectamur *legi Dei secundùm interiorem hominem*, tunc fit voluntas ejus

al. iubentis.

[b] *Homil. 2. cap. 3. Matth. 6. 10.*

Rom. 7. 22.

in cælo: cælo enim comparatur spiritus noster, terræ autem caro nostra. Quid est ergo: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo*, ita, *& in terrâ?* Ut quomodo menti nostræ placet tua jussio, sic ei consentiat caro nostra, & tollatur rixa illa de medio quæ describitur ab Apostolo: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Gal. 5. 17. Quando contra carnem concupiscit spiritus, jam facta est voluntas ejus in cælo: Quando contra spiritum non concupiscit caro, jam facta est voluntas ejus in terrâ. [a] Quando dicis, si tamen dicis, quod ait Apostolus: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*; fit voluntas Dei in cælo, sed nondum in terrâ: cùm verò caro menti consenserit, & absorpta fuerit mors in victoriam, ut nulla desideria carnalia remaneant cum quibus mens confligat; cùm transierit rixa in terra, cùm transierit bellum cordis, cùm transierit quod dictum est, *Caro con-* Gal. 5. 17.

[a] *Ser. 48. de diver. cap. 5.* Rom. 7. 25. 1. Cor. 15. 54.

cupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis; cùm ergo hoc bellum transierit, omnisquè concupiscentia in charitatem fuerit commutata, nihil in corpore remanebit quod spiritui resistat, nihil quod dometur, nihil quod frænetur, nihil quod calcetur: [a] Quod erit summæ pacis in vitâ æternâ, ut non solùm velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonum. *Nunc enim, velle*, inquit, *adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio*; quia nondum in terrâ sicuti in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam & in miseriâ nostrâ fit voluntas Dei cùm ea patimur per carnem quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit nostra natura. Sed id orandum est, ut sicut in cælo, ita & in terrâ fiat voluntas Dei; id est, ut quemadmodum corde condelectamur *legi Dei secundùm interiorem hominem*,

[a] *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 6.*

Rom. 7. 18.

Rom. 7. 22.

ita etiam corporis immutatione factâ, huic noſtræ delectationi nulla pars noſtra terrenis doloribus ſeu voluptatibus adverſetur. [a] Erit enim plena concordia, quando ipſe voluerit. Sit modo pugna, ut poſſit eſſe victoria. Etiam ſic bene intelligi poteſt, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terrâ*; ut cælum ponamus Eccleſiam quia portat Deum, terram autem infideles, quibus dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Quando ergo oramus pro inimicis noſtris, inimicis Eccleſiæ, inimicis nomini Chriſtiano; hoc oramus ut fiat voluntas ejus, ſicut in cælo, ita & in terrâ; id eſt, ſicut in tuis fidelibus, ſic & in tuis blaſphematoribus. [b] Credant inimici noſtri quomodo & nos in te credimus, fiant amici, finiant inimicitias. Terra ſunt, ideò nobis adverſantur: cælum fiant, & nobiſcum erunt. [c] In eâ quidem parte quâ optamus ut homines ex infidelibus fiant fideles, non perſeverantia, ſed initium videtur optari: in

a *Homil.* 42. *cap.* 3.

Matth. 6. 10.

Gen. 3. 19.

b *Ser.* 48. *de diverſ. cap.* 5.

c *Lib. de dono perſev. cap.* 3.

eâ verò quâ optamus, ut homines in faciendâ voluntate Dei æquentur Angelis Dei; cùm hoc orant ſancti, perſeverantiam demonſtrantur orare, quoniam nemo pervenit ad illam ſummam, quæ in regno eſt, beatitudinem; niſi in eâ ſanctitate, quam ſumpſit in terrâ, perſeveraverit uſque in finem. [a] Nec illud à veritate abhorret, ut accipiamus, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ*; ſicut in ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, ita & in Eccleſiâ; tanquam in viro qui Patris voluntatem implevit; ita & in fœminâ quæ illi deſponſata eſt. Cælum enim & terra convenienter intelligitur quaſi vir & fœmina, quoniam terra cælo fœcundante fructifera eſt. [b] Quando petitionem iſtam dicimus, omnia iſta cogitemus, & omnia iſta à patre petamus. Omnia autem iſta, chariſſimi, tria quæ diximus, tres petitiones iſtæ ad vitam æternam pertinent. Quòd enim ſanctificatur in nobis nomen Dei noſtri,

[a] *Lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 6.*

[b] *Serm. 9. de diverſ. cap. 6. 7.*

ſtri, æternum erit. Quòd regnum ipſius veniet ubi ſemper vivemus, æternum erit. Quòd voluntas ejus fit ſicut in cælo, ita & in terrâ, omnibus modis quos expoſui, æternum erit. Reſtant petitiones pro iſtâ vitâ peregrinationis noſtræ. Ideò ſequitur.

PANEM NOSTRUM quotidianum da nobis hodie.

[a] POteſt ſimpliciter accipi, orationem iſtam fundere nos pro victu quotidiano, ut abundet nobis; etſi non abundet nobis, non deſit nobis. [b] Profiteris te mendicum Dei: ſed noli erubeſcere; quantumlibet quis ſit dives in terrâ, mendicus Dei eſt. Stat mendicus ante domum divitis; ſed & ipſe dives ſtat ante domum magni divitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei oratione non pulſaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipſo pane quotidiano eget dives. Quare enim abundant

[a] *Hom. 42. capo 1.*

[b] *Serm. 48. de diverſ. c. 6.*

illi omnia ? Unde, nisi quia Deus dedit ? Quid habebit si Deus subtrahat manum suam ? Nonne multi dormierunt divites, & surrexerunt pauperes ? Et quod illi non deest, misericordiæ Dei est, non potentiæ ipsius. [a] *Meum est*, inquit, *aurum*, & *meum est argentum*; non vestrum, ô divites terræ. Quid ergo dubitatis dare pauperi de meo, aut quid extollimini cùm datis de meo ? Et vis videre quàm justi judicis res est aurum & argentum ? Avarus unde torquetur, inde misericors adjuvatur : rem suam distribuente divinâ justitiâ, & rectè facta inde manifestantur, & peccata inde puniuntur. Namque aurum, & argentum, & omnis terrena possessio exercitatio humanitatis est, & supplicium cupiditatis. Cùm talia Deus bonis hominibus tribuit, ostendit in eis quanta contemnat animus cujus divitiæ sunt ipse Deus qui tribuit : non enim potest quisque apparere contemptor nisi ejus rei cujus pos-

[a] *Ser 15. de diverſ. cap. 1.2.3. Agg. 2.9.*

ſeſſor effectus eſt. Nam & qui non habent, poſſunt iſta contemnere; ſed utrum fingant an verè contemnant, Deus videt qui cordis inſpector eſt; hominibus autem ut imitari poſſint, cogitatio contemnentis nonniſi in manibus erogantis inſpicitur. Cùm autem malis hominibus Deus iſta concedit, oſtendit in eis quomodo & in ipſis bonis quæ Deus largitur, crucietur animus cui viluit qui tanta largitur. Bonis enim ſubminiſtrat occaſiones beneficiorum; malos torquet timore damnorum. Et ideo ſi amittant utrique aurum & argentum, iſti cæleſtes divitias læto corde retinebunt; illis autem & bonis temporalibus inanis domus, & bonis æternis inanior conſcientia remanebit. Illius eſt ergo aurum & argentum, qui novit uti auro & argento. Nam etiam inter ipſos homines tunc quiſque habere aliquid dignus eſt, quando bene utitur: Nam quod juſtè non tractat, jure non tenet. Quod autem jure non

tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris, sed impudentis incubatoris improbitas. Quapropter si homo non importunè dicit aliquid suum non quod iniquâ & stultâ cupiditate occupaverit, sed quod prudentissimâ potestate, & moderatione justissimâ tractaverit: quanto magis Deus verè ac propriè suum esse dicit aurum & argentum, quod & largissimâ bonitate condidit, & justissimo administrat imperio, ut sine ipsius nutu atque dominatu nec mali ad avaritiæ supplicium, nec boni ad usum misericordiæ possint habere aurum & argentum? [a] Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidiùs appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur quibus & boni plerumque afficiuntur.

[a] *Lib. 1. de civit. Dei cap. 8.*

Interest autem plurimùm qualis sit usus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur : malus autem ideò hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpè etiam in his distribuendis evidentiùs operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifestâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reservari putaretur : rursus si nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissimâ largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus : itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potiùs cupidos & avaros. [a] Admoneamus ergo divites nostros quod Apostolus admo-

[a] *Ser. 110. de temp. cap. 4.*

1. Tim 6. 17 nuit, *non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum.* Admoniti ſumus. Divitiæ illæ quas putatis plenas eſſe deliciarum, pleniores ſunt periculorum. [a] *Victum & tegumentum habentes, his contenti ſimus.* Nihil dives habet de divitiis ſuis, niſi quod ab illo poſtulat pauper, victum & tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? [b] Eſurit pauper; eſurit dives: ſaturari quærit pauper; ſaturari quærit dives: ſaturatur pauper de vilibus cibis; ſaturatur dives de pretioſis cibis. Saturitas æqualis eſt; poſſeſſio una eſt: quò ambo volunt, pervenêre; ſed ille per compendium, ille multum circuit. Sed meliùs, inquis, mihi ſapiunt apparata pretioſa. Vix faſtidioſus ſatiaris. Neſcis quomodo ſapit quod fames accendit. Neque hoc ita dixi ut divites cogam epulis & cibis pauperum veſci. Utantur divites conſuetudine infirmitatis ſuæ, ſed doleant aliter ſe non poſſe: meliùs etenim poſſint,

1. Tim. 6. 8.

a *Serm. 5. de verb. Domini cap. 11.*

b *Ib. inf.*

si aliter possint. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? [a] Nam ægritudo perpetua est in istâ fragilitate carnis. Putatis enim tunc hominem ægrotare quando febricitat, & sanum esse quando esurit? Sanus est, dicitur. Vis videre quantum malum est esurire? Dimitte illum sine medicamento septem diebus, occiditur. Sed quia ponis quotidie medicamentum, vivit. Medicamentum autem famis, cibus est; medicamentum sitis, potus est; medicamentum lassitudinis, somnus est. [b] Non est illa vera corporis sanitas, quia portatur infirmitas ubique defectiva. Quocumque se verterit, deficit. In ipso adjutorio non invenies firmamentum. [c] Vigilando fatigatur, stando fatigatur, ambulando fatigatur, sedendo fatigatur, manducando fatigatur; quocumque se verterit ad subsidium fatigationis, ibi inveniet aliam fatigationem. [d] Qualis est ergo ista salus, fratres, transitura,

a *Homil.* 38. *cap.* 6.

b *In Psal.* 122. *fin.*

c *Ib. paulò supra.*

d *Homil.* 38. *cap.* 7.

[a] *Serm. 9. de diverſ. cap. 7.* fragilis, peritura, vana? [a] Cùm tranſierit vita iſta, nunquid petemus panem quotidianum? Quotidie vivimus, quotidie ſurgimus, quotidie ſaturamur, quotidie eſurimus. [c] Nunc vocatur quotidie, quando tranſit dies, & venit alius dies. Nunquid vocabitur quotidie, quando erit æternus unus dies? [d] Impudentia eſt ut à Deo petas divitias: non eſt impudentia ut petas panem quotidianum. Aliud eſt unde ſuperbias, aliud unde vivas. [e] Det nobis quotidianum panem. Quare non dixit & tegumentum? Victus enim noſter in cibo eſt, & in potu; tegumentum in veſtitu & tectu. Nihil homo plus deſideret, quandoquidem dicit Apoſtolus: *Nihil intulimus in hunc mundum, ſed nec auferre quid poſſumus. Victum & tegumentum habentes, his contenti ſimus.* Pereat avaritia, & dives eſt natura. Ergo ſi ad quotidianum victum pertinet, quia & hoc bene intelligitur quod dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis*

[b] *Homil. 42. cap. 4.*

[c] *Serm. 9. de diverſ. cap. 7.*

[d] *Ser 48. de diverſ. cap. 6.*

[e] *Homil. 42. cap. 4.*

1. Tim. 6. 7. 8.

Matt. 6. 11.

nobis hodie; non miremur si nominato pane cætera necessaria intelligantur. Quomodo, quando Joseph invitavit fratres suos : homines, inquit, illi hodie mecum manducabunt panem. Quare panem solum manducaturi erant? Sed à solo pane intellecta sunt cætera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quidquid nobis propter carnem nostram in terris necessarium est, postulamus. Sed quid ait Dominus Jesus? *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia apponentur vobis.* [a] Regnum ergo & justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hâc vitâ militamus ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest, apponentur vobis hæc, inquit : Sed vos regnum Dei & justitiam ejus primùm quærite : cùm enim dicit illud primùm, significavit quòd hoc posteriùs quærendum

Gen. 43. 16.

Matth. 6. 33.

a *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 16.*

Matth. 6. 33.

est, non tempore, sed dignitate.

a *Ib. cap. 17.* [a] His & hujusmodi scripturarum locis satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum dirigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus, in militiâ verò regni Dei ista non cogitemus. Ita enim, etiamsi aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solùm non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant: *Gloriamur enim*, inquit, *in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem; spes verò non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* In commemoratione autem tribulationum ac la-

Rom. 5. 3. 4. 5.

borum ſuorum idem Apoſtolus non tantùm in carceribus & naufragiis, atque hujuſmodi moleſtiis, ſed etiam *in fame & ſiti, in frigore & nuditate* ſe laboraſſe commemorat. Quod cùm legimus, non æſtimemus Domini promiſſa titubaſſe, ut famem ac ſitim & nuditatem pateretur Apoſtolus quærens regnum & juſtitiam Dei, cùm dictum ſit nobis, *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis:* Quandoquidem iſta ſicut adjutoria novit ille medicus cui ſemel nos totos commiſimus, & à quo habemus promiſſionem vitæ præſentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, ſicut nobis judicat expedire, quos conſolandos & exercendos in hâc vitâ, & poſt hanc vitam in perpetuâ requie ſtabiliendos atque firmandos gubernat ac dirigit. Non enim & homo cùm plerumque jumento ſuo cibaria detrahit, deſerit illud curâ ſuâ, ac non potiùs curando hæc facit. [a] Ergo illa beneſi-

Matth. 6. 33.

[a] *Ser. 34. Sirmondi.*

cia sempiterna totâ aviditate postulemus, illa bona totâ intentione quæramus, illa bona securi petamus. Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt; temporalia verò ista aliquando prosunt, aliquando obsunt. Multis profuit paupertas, & nocuerunt divitiæ; multis profuit privata vita, & nocuit altus honor; & iterum aliquibus profuit pecunia, profuit dignitas; benè utentibus profuit, malè autem utentibus non ablata plus nocuit. Ac per hoc, fratres, petamus & ista temporalia moderatè, securi quia si accipimus, ille dat qui novit quid nobis expediat. Petisti; non est tibi datum quod petebas? Crede Patri, qui si tibi expediret, daret tibi. Ecce de teipso fac tibi conjecturam: qualis est enim apud te filius tuus nescius res humanas, talis es & tu apud Dominum, nescius res divinas. Ecce ante te filius tuus totâ die plorans, ut des illi cultrum, id est, gladium. Negas te dare, non das, contemnis flentem ne plangas morientem.

Ploret, affligat se, collidat se, ut leves eum in equum : non facis, quia non potest eum regere ; elidet & occidet illum. Cui negas partem, totum illi servas : sed ut crescat, & totum possideat securè, non das illi modicum periculosum. [a] Ista ideo dico, fratres mei, ne contristemini quando petitis, & non accipitis ; & arbitremini quòd ante oculos suos non habeat Deus si ad tempus non exaudit voluntatem vestram : non enim semper ægrum exaudit medicus ad voluntatem, quamvis ejus sine dubio procurat atque appetit sanitatem. Non dat quod petit, sed quod non petit, hoc procurat. [b] Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem : habete pro magno exaudiri ad utilitatem. Ad voluntatem etiam dæmones exauditi sunt, & ad porcos quos petierant, ire permissi sunt. Ad voluntatem etiam princeps eorum exauditus est diabolus, à quo petitus Job tentandus, non est negatus, ut esset ille probatus,

a Ser. 30. de diver. cap. 6.

b Ser. 55. de verb. Domini cap. 7.

Matth. 8. 32.

Iob. 1. & 2.

iſte confuſus. Ad voluntatem etiam Iſraelitæ exauditi ſunt, & cùm adhuc cibus eſſet in ore ipſorum, noſtis quæ conſecuti ſunt. Nolite ergo pro magno habere, ad voluntatem exaudiri. Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro ſæculo promittit, ab illo petitis, ſecuri petite, & incumbite quantum poteſtis orationibus, ut ſumatis.[a] Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut ſi proſint, det; ſi ſcit obeſſe, non det. Quid autem obſit, quid proſit, medicus novit, non ægrotus.[b] Qualis ſit brevis hæc vita, quid deſcribere opus eſt? Experimur quàm ærumnoſa, quàm queruloſa, circumdata tentationibus, plena timoribus, ardens cupiditatibus, ſubdita caſibus, in adverſis dolens, in proſperis tumens, lucris exultans, damnis excrucians: & in ipſis lucris

Num. 11. 33. Pſal. 77. 30.

[a] *Ibid. inſ.*

[b] *Ser. III. de diver. cap. 2.*

exultatione trepidat ne quod acquisivit, amittat, ne propter hoc quæratur qui antequàm haberet, non quærebatur. Vera infelicitas, memdosa felicitas. Humilis cupit ascendere, sublimatus timet descendere: qui non habet, invidet habenti; qui habet, contemnit non habentem. Et quis explicet verbis hujus vitæ tantam & tam conspicuam fœditatem? Et tamen ista fœditas habet amatores suos tales, ut vix invenire possimus pauciſſimos qui sic diligant vitam æternam quam finire non possunt, quomodo ista diligitur quæ & citò finitur, etsi protendatur, quotidie timetur ne per horas singulas finiatur. Quid faciamus? quid agamus? quid dicamus? quos comminationis aculeos, quos exhortationis ignes admoveamus cordibus pigris & duris, & terreni stuporis glacie congelatis, ut torporem mundi aliquando decutiant, & in æterna inardescant? Quid, inquam, faciamus? quid dicamus? [a] Ego quidem cùm ama- a Ep. 82.

tores sæculi hujus intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos sanandos opportuna sapientia. Quando enim res velut prosperas habent, fastu respuunt salubres monitus, & quasi anilem reputant cantilenam : quando autem in adversis agunt, magis cogitant evadere unde ad præsens anguntur, quàm capere unde curentur, & unde perveniant ubi angi omninò non possint. Aliquando tamen quidam cordis aures admovent atque adhibent veritati, rariùs inter prospera, crebriùs inter adversa : sed tamen pauci sunt, ita enim prædicti sunt.

a *Serm. 111. de diver. cap. 6.*

[a] Obsecro vos, attendamus quomodo diligatur ista vita temporalis ab amatoribus suis. In quàm magno timore sunt homines, ne moriantur morituri ? Videas hominem tremere, fugere, latebras quærere, defensiones aucupari, rogare, provolvi, si fieri potest, quidquid habet dare, ut vita donetur, ut uno die plus vivatur, ut ætas incerta saltem aliquantò diutiùs protenda-

tur, tanta faciunt homines. Quis tale aliquid pro vitâ æternâ? Alloquamur amatores præsentis vitæ. Quid agis? Quid festinas? Quid trepidas? Quid fugis? Quid latebras quæris? Ut vivam, inquit. Certè, ut vivas. Ut vivas semper victurus? Non ergo mortem satagis auferre, sed differre. Qui tanta agis ut paulò seriùs moriaris, age aliquid ut nunquam moriaris. Quàm multos invenimus qui dicant: Tollat fiscus res meas ut seriùs moriar. Quàm rarò invenimus qui dicat: Tollat Christus res meas ut nunquam moriar. [a] Implevit Deus amaritudinibus mundum: & inhias tu, & incumbis tu, fugis tu; nonnisi inde & inde voluptatem capis. Quamdiu? Quid si dulcis esset? Quomodo amaretur? [b] Est alia vita, fratres mei: est post hanc vitam alia vita; credite. Ad eam vos præparate: præsentia cuncta contemnite: si habetis, nolite cupiditate inardescere. [c] Videtis enim, carissimi, quot petitiones

a *Serm. 115. de diver. cap. 17.*

b *Ibid. cap. 18.*

c *Ser. 9. de diuer. cap. 13.*

docuit nos Dominus Christus; & vix illic invenitur una quæ sonet de pane quotidiano, ut, omnia quæ cogitamus, propter vitam futuram cogitemus. Quid enim timemus ne nobis non exhibeat ille qui promisit, & dixit: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis?* [a] Multi etiam fame tentati sunt, & aurum inventi, & à Deo non deserti. Perirent fame, si desereret cor eorum panis interior quotidianus. Ipsum maximè esuriamus: *Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* [b] Pertinet ergo ad homines hanc vitam mortalem gerentes, esurire ac sitire justitiam. Impleri autem justitiâ, ad aliam vitam pertinet. Hoc pane, hoc cibo pleni sunt Angeli: homines autem dum esuriunt, extendunt se; dum se extendunt, dilatantur; dum dilatantur, capaces fiunt; capaces facti suo tempore replebuntur. Quid ergo hîc? Nihil inde capiunt qui

Matth. 6. 33.

a *Ib. inf.*

Matth. 5. 6.

b *Tract. de util. temp. cap. 1.*

esuriunt & sitiunt justitiam ? Capiunt planè. Sed aliud est cùm quærimus de refectione iter agentium ; & aliud cùm quærimus de perfectione beatorum. [a] Diu desiderata dulciùs obtinentur ; citò autem data vilescunt. Pete , quære , insta. Petendo & quærendo crescis ut capias. Servat tibi Deus quod non vult citò dare , ut & tu discas magna magnè desiderare. Inde *oportet semper orare , & non deficere.* [b] A quo debemus petere cibum potumque justitiæ , nisi ab illo qui esurientibus eam & sitientibus promittit ejus saturitatem ? [c] Nec ideò tamen de hâc re solis votis agendum est , ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur ; nec adjuvari potest nisi qui etiam aliquid sponte conatur : quia non sicut in lapidibus insensatis , aut sicut in eis in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit , salutem nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet ,

[a] *Serm. 5. de ver. Domini cap. 5.*

Luc. 18. 1.

[b] *Lib. 2. d. pecc. merit. cap. 5.*

[c] *Ib. inf.*

illum non adjuvet ; illum tantum, illum autem non tantum ; istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis. [a] Et verbum Dei quod quotidie nobis verbis aperitur, & quodammodo frangitur ; panis quotidianus est : & quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes. [b] Et quod vobis tracto, panis quotidianus est : & quòd in Ecclesiâ lectiones quotidie auditis, panis quotidianus est : & quòd hymnos auditis, & dicitis, panis quotidianus est : hæc enim sunt necessaria peregrinationi nostræ ; [c] præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari, & operari. Nam de ipsis Dominus dicit : *Operamini escam quæ non corrumpitur.* Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et reverâ quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritalia, nunc in car-

[a] *Homil. 42 cap. 4.*

[b] *Serm. 9. de div. cap. 7.*

[c] *Lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 7. Matth. 6. 27.*

nalia animi affectus alternant, tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hâc vitâ, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur quia sentit dispendium: sic & animus quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficitur. [a] Numquid illuc quando venerimus, codicem sumus audituri? Ipsum verbum visuri, ipsum verbum audituri, ipsum manducaturi, ipsum bibituri, quomodo Angeli modò. Nunquid Angelis codices sunt necessarij, aut disputatores, aut lectores? Absit. Videndo legunt: vident enim ipsam veritatem; & illo fonte satiantur, unde nos irroramur. [b] Intelligitur hoc etiam valde bene *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid

a *Serm. 9. de diver. cap. 7.*

b *Homil. 42. cap. 4. Matth. 6. 11.*

accipiant; & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant ut bona faciant, ut in bonitate, & fide, & bonâ vitâ perseverent. Hoc optant, hoc orant; quia qui non perseverant in bonâ vitâ, separabuntur ab illo pane. [a] Beatus Cyprianus ostendit quomodo & hîc intelligatur perseverantia postulari. Ait quippe inter cætera: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. Hæc verba sancti hominis Dei perseverantiam prorsus à Domino sanctos indicant poscere, quando hâc intentione dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ne à Christi corpore separentur, sed in eâ sanctitate permaneant, quâ nullum quo inde separari mereantur, cri-

[a] *Lib. de dono persever. cap. 4.*

Matth. 6.

men admittant. [a] Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! [b] Et utique sanctum est quod accipimus; & nemo dicit, non est sanctum. Et quid ait Apostolus? *Qui autem manducat & bibit indigne, judicium sibi mãducat & bibit.* Non ait, quia illa res mala est; sed quia ille malus malè accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. Num enim mala erat buccella quæ tradita est Judæ à Domino? Absit. Medicus non daret venenum. Salutem medicus dedit; sed indignè accipiendo ad perniciem accepit. [c] Quàm multos Judas Diabolus implet, indignè accipientes buccellam ad judicium suum! [d] Ideò, fratres carissimi, unusquisque consideret conscientiam suam; & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs orationibus, jejuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens

a *Tract. 26. in Ioan. med.*

b *Tract. 6. in Ioan. med.*

1. Cor. 11. 29.

c *In Ps. 142. fin.*

d *Serm. 252. de temp. init.*

reatum ſuum ipſe ſe à Divino altari ſubtraxerit, citò ad indulgentiam divinæ miſericordiæ perveniet. [a]

[a] *Epiſt. 228. cap. 3.*

Si tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, auctoritate antiſtitis debet quiſque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eâdem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat quo debet agere pœnitentiam, [b] quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* In hâc ergo pœnitentiâ majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non judicetur à Domino, ſicut idem Apoſtolus ait: *Si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur.* Aſcendat itaque homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ: exiſtimet illud, quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, ut illud recipiat unuſquiſque quod per corpus geſſit,

[b] *Hom. 30 c. p. 4.*

Gal. 5. 21.

2. Cor. 11. 31.

gesſit, ſive bonum, ſive malum. 1. Cor. 5. 10
Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat: Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens, *arguam te, & ſtatuam te ante faciem tuam.* Pſal. 49. 21. Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipsâ mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini. [a] Et cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam; veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſiâ claves miniſtrantur: & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum; [b] ut qui ſeparari à regno cælorum timet per ultimam ſententiam ſummi judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à ſacramento

[a] *Ib. inf.*

[b] *Ib. ſup.*

cæleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicij; & cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare quod nunc in Eccleſiâ eſt in terrâ poſitum, terrenis oculis expoſitum ad myſteriorum divinorum ſignacula celebranda, multi etiam ſcelerati poſſunt accedere; quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam ſuam, ut in futuro exerat ſeveritatem ſuam. [a] Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo, ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum. [b] Ad illud autem altare, *quò præcurſor pro nobis introivit Jeſus*, quò caput Eccleſiæ præceſſit membris cæteris ſecuturis, nul-

[a] *lib. inf.*

[b] *Hom. 30 cap. 4. Hebr. 6. 20.*

lus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Solus enim sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adjuncto scilicet corpore cui caput est, quod jam ascendit in cælum. Ipse est cui dixit Apostolus Petrus: *Plebs sancta, regale sacerdotium.* Quomodo ergo *in interiora veli*, & in illa invisibilia sancta sanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens noluit pauliſper à visibilibus separari? Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur; cùm exaltari voluerit, dejicietur; & in æternum sejungetur ab æternis sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & per satisfactionem pœnitentiæ non sibi providit locum in corpore sacerdotis. [a] Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est: sed sic accipiamus illum, ut non solùm ventre, sed & mente reficiamur. Virtus enim ipsa quæ

Galat 5. 21.

1. Pet. 2. 9. Heb. 6. 19.

[a] *Ser. 9. de diverſ. cap. 7.*

ibi intelligitur, unitas est: ut redacti in corpus ejus, effecti membra ejus, simus quod accepimus.

[a] *Tract. 26. in Ioan. fin.*

[a] Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur. * Ex multis namque granis unus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit. [b] Inde est quòd exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: *Vnus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus*. O Sacramentum pietatis; ô signum unitatis: ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur: Non abhorreat à compage membrorum: non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum; hæreat corpori, vivat Deo de Deo. [c] Hujus rei sacramentum, id est, unitatis

* *Al* Rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit.

[b] *Ib. sup.*

1. Cor. 16. 17.

[c] *Ib. inf.*

corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis in Dominicâ mensâ præparatur, & de mensâ Dominicâ sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa, cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit. [a] *Hic est panis qui de cælo descendit*, ut illum manducando vivamus, quia æternam vitam ex nobis habere non possumus. [b] Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi; si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsâ veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audivimus enim ipsum Dominum dicentem: *Spiritus est qui vivificat.* [c] Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantùm in sacramento, quod & multi mali; sed usque ad spiritûs participationem manducemus & bibamus, ut in Domi-

a *Ib. inf.*

b *Ib. fin.* Ioan 6. 59. *Serm.* 2. *de verb. Ap. cap.* 1.

Ioan. 6. 64.

c *Tract.* 27. *in Ioan. fin.*

al. Domi-

nico corpore tanquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, & non scandalizemur etiamsi multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. [a] Dictum est ergo de pane quotidiano, quia in istâ vitâ nobis est necessaria hæc petitio. [b] Et quidquid animæ nostræ, & carni nostræ in hâc vitâ necessarium est, quotidiano pane concluditur.

[a] *Serm. 9. de diver. cap. 7.*

[b] *Homil. 42. cap. 4.*

ET DIMITTE NOBIS debita nostra.

QUis enim hîc vivit in carne, & non habet debita? Quis est homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest; justificare non potest. Bonum est illi ut imitetur Publicanum, nec tumescat sicut Pharisæus, qui ascendit in templum, & jactavit merita sua, texit vulnera sua. Ille autem scivit quare ascenderit, qui

[a] *Ibid. cap. 5.*

Luc 18. 13.

dicebat : *Domine, propitius esto mihi peccatori.* [a] Accessit per fidem ad lavacrum regenerationis homo fidelis, & omnia dimissa sunt ei. Jam sub gratiâ vivit, in fide vivit, membrum Christi factus est, templum Dei factus est : & tamen sic quomodo membrum Christi, & templum Dei factus est, si dixerit se non habere peccatum, seipsum seducit, & veritas in eo non est : [b] quia non dixit Joannes ; *si dixerimus quia peccatum non habemus*, humilitas in nobis non est ; sed dixit : *Nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* [c] Et baptisati sumus, & debitores sumus : non quia aliquid remansit, quod in baptismo dimissum non fuerit ; sed quia vivendo contrahimus quod quotidie dimittatur. Qui baptisantur, & exeunt, sine debito ascendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptisantur, & tenentur in hâc vitâ, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etsi

Ibid.

a Serm. 29. de verb. Ap. cap. 3.

1. Joan. 1. 8.

b Ibid. cap. 3. Ibid.

c Ser. 48. de divers. cap. 7.

non naufragatur, tamen oportet ut ſentinetur: Quia ſi non ſentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur. [a] Conſiderate, fratres mei: hoc Dominus Jeſus Chriſtus orare docuit diſcipulos ſuos, illos magnos primos Apoſtolos ſuos, arietes noſtros. Si ergo pro peccatis ſuis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere, de quibus dictum eſt: *Afferte Domino filios arietum*? [b] Si hoc diſpenſatores verbi Dei, & miniſtri ſacramentorum ejus, milites Chriſti; quanto magis cætera ſtipendiaria multitudo, & quædam provincia magni regis? Quam ne fortè malâ ſuſpicione avaritiæ miles ille fideliſſimus atque fortiſſimus Apoſtolus Paulus offenderet, ſuis ſtipendiis militavit: & ubi fortè defuit ſumptus neceſſarius: *Alias*, inquit, *Eccleſias expoliavi, accipiens ab eis ſtipendium ad veſtram miniſtrationem*. Quanto ergo magis Eccleſiæ provinciales ſæcularibus

[a] *Homil. 42. cap. 5.*

[b] Pſal. 28 1. *Homil. 30 cap. 3*

2. Cor. 11. 8.

bus negotiis obligatæ quotidianam debent agere pœnitentiam ? Qui quamvis à furtis, à rapinis, à fraudibus, ab adulteriis & fornicationibus, omnique luxuriâ, à crudelitate odiorum, & inimicitiarum pertinaciâ, ab omni denique idololatriæ fœditate, ſpectaculorum nugacitate, hæreſum atque ſchiſmatum impiâ vanitate, atque ab omnibus hujuſcemodi flagitiis & facinoribus immunes, puri atque integri eſſe debeant; tamen propter adminiſtrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctiſſima vincula tam multa peccant, ut non tam de iſtius mundi pulvere aſpergi, quàm luto obliniri videantur. Hoc eſt quod Apoſtolus eis dicit: *Iam quidem omninò delictum eſt in vobis, quia judicia habetis inter vos. Quare non magis iniquitatem patimini ? Quare non magis fraudamini ?* Nam illud execrabile eſt quod propter quoſdam addit, & dicit: *Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis; & hoc fratri-*

1. Cor. 6. 7.

Ibid. v. 8.

bus. Exceptis tamen iniquitatibus & fraudibus, hoc ipsum, habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit: quod tamen ferendum esse admonet si vel Ecclesiastico judicio lites hujusmodi finiantur. Hinc est
1. Cor. 7. 32. 33. etiam illud: *Qui sine uxore est, cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonio conjunctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Quod etiam de fæmina similiter notat. & illud cùm ait: &
Ibid. v. 5. item *in idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter intemperantiam vestram.* Quod ut peccatum demonstraret esse, sed infirmitati
Ibid. v 6. concessum, subjecit statim: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* Sola enim generandi causa est inculpabilis sexus utriusque commixtio. Quàm multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus & negotiis alienis quæ non ad te pertinent, sive in vanis cachinnationibus, cùm scri-

ptum sit: *Stultus in risu exaltat vocem suam; sapiens autem vix tacitè ridebit*; sive in ipsis escis quæ ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus, sæpe excessum modum postriduanâ cruditate contestans. [a] Certè cùm in scripturis sanctis fueris contemplatus normam justitiæ, quantumcumque profeceris, invenies te peccatorem. Profeciſti: jam unum Deum colis; optimè. Non fornicaris ab eo ad idola, ad mathematicos, ad sortilegos, ad haruspices, ad augures, ad maleficos: ista enim fornicatio est à Domino Deo. Jam es in aliquo numero membrorum Christi. Jam incipe videre etiam illa peccata societatis humanæ. Non occidis quemquam; non adulteras cujusquam uxorem; non uxori tuæ eundo ad alteram injuriam facis; non ullâ pessimâ corruptelâ te contaminas; abstinuisti manus à furto, linguam à perjurio, cor à concupiscendo rem proximi

Eccl. 21. 32.

a *In Psal.* 140. *post med.*

tui. Jam justus es; attende cætera; noli jam superbire. Nihil-ne peccas in linguâ? Non prolaberis in verbum durum? Sed quid magnum? Dicis. Quid magnum? Matth. 5. 22. *Qui dixerit fratri suo, fatue; reus erit gehennæ ignis.* [a] Si parvum tibi videtur aut modicum fratri dicere, fatue; vel gehenna ignis videatur tibi magna. Si contemnebas minus peccatum, vel pœnæ magnitudine deterrere. [b] Contremiscit jam tota illa superbia. Ecce jam non valde facit unde Deus videatur impietate aliquâ blasphemari: non irruit in aliquem lædendum: non facit alteri quod pati non vult. Quid de linguâ? Quis illam domat? Sed ecce jam & ipsam frænasti; quamquam quis tantus ut hoc omnino perficiat? Sed ecce jam & ipsam frænasti. Quid facis de cogitationibus tuis? Quid facis de tumultu & catervâ rebellantium desideriorum? Non eis das membra. Ita credo & video. Sed tamen cogitationes aliquando inclinantur. [c] Ferat quisque cor

[a] *In Ps.* 129. *med.*

[b] *In Psal.* 140. *post med.*

Tob. 4. 16. Matth. 7. 12.

[c] *In Psal.* 85.

ſuum, & intueatur ſe ſine adulatione, & ſine palpatione. Nihil eſt enim ſtultius quàm ſi ſeipſum quiſque palpet atque ſeducat. Attendat ergo, & videat quanta aguntur in corde humano: quemadmodum ipſæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix ſtet cor ad Deum ſuum. Et vult ſe tenere ut ſtet, & quodammodo fugit à ſe, nec invenit cancellos, quibus ſe includat, aut obices quoſdam quibus retineat avolationes ſuas, & vagos quoſdam motus. [a] Corpus proſternis; collum curvas; confiteris peccata; Deum adoras. Video corpus ubi jaceat; quæro ubi volitet animus. Video membra jacentia: videamus ſi ſtet conſcientia; videamus ſi fixa eſt in eum quem adorat. Sic autem cogitationibus plerumque tanquam æſtu maris abripitur, & tempeſtate tollitur in aliud atque aliud. Modò ſi mecum loquereris, & ſubitò averteres te ad ſervum, & dimitteres me, non

Poſt init.

[a] *In Pſal. 118. poſt med.*

dico à quo aliquid petebas, sed cum quo ex æquo loquebaris; non mihi injuriam factam deputarem?

a *In Psal. 85. post init.* [a] Et tolerat Deus tot corda precantium, & diversas res cogitantium; omitto dicere, & noxias; omitto dicere, aliquando perversas & inimicas Deo. Ipsas superfluas cogitare, injuria est eius cum quo loqui cæperas. Oratio tua, locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris. Sed quid? Desperandum est de genere humano, & dicendum jam ad damnationem pertinere omnem hominem cui surrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres; quæ spes remaneat, non video. [b] Quemlibet valdè justum discutias in hâc vitâ, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. Audi ipsum sanctum Ioannem .... in Epistolâ suâ dicentem: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habe-*

b *Tract. 41. in Ioan. med.*

1. Ioan. 1. 8.

mus; nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Solus hoc dicere potuit in mortuis liber; de solo dici potuit, qui non noverat peccatum: etenim expertus est omnia secundùm similitudinem, *sine peccato*: solus dicere potuit, *Ecce veniet princeps mundi, & in me nihil inveniet.* Quemcumque alium licet justum discusseris, non omnimodo est sine peccato: nec qualis erat Job, cui Dominus tale testimonium perhibebat, ut diabolus invideret, & postularet tentandum; tentans superaretur, ut ille probaretur. Ideo autem ille probatus est, non quia latebat Deum coronandus, sed ut innotesceret hominibus imitandus. Etiam ipse Job quid dicit? *Quis enim mundus? Nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Sed planè multi justi dicti sunt sine querelâ; quod intelligitur, sine crimine; nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen au-

Ps. 87. 5.

Heb. 4. 15.

Ioan. 14. 30.

Iob. 1.

Iob.

tem est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum. Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat & laudat. Nulla laudat, sed odit omnia. Quomodo odit medicus ægritudinem ægroti; & id agit curando ut ægritudo pellatur, æger levetur: Sic Deus gratiâ suâ hoc in nobis agit ut peccatum consumatur, homo liberetur. Sed quando consumitur? inquies. Si minuitur, quare non consumitur? Minuitur autem in vitâ proficientium, quod in vitâ consumitur perfectorum. Prima est ergo libertas, carere criminibus. Ideo & Apostolus Paulus quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ; non ait: si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: *Si quis sine crimine est*; sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum,

Tit. 1. 6. 1. Tim. 3. 10.

fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Cùm cæperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis Christianus homo,) incipit caput erigere ad libertatem: sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? quia *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio*... Ex parte libertas, ex parte servitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas; quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est à nobis anteà, deletum est in baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hîc viveremus. Quis autem audeat hoc dicere nisi superbus, nisi misericordiâ liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Ergo ex eo

Rom. 7. 23. Ibid. v. 19.

1. Joan. 2. 4.

quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex quâ parte servimus Deo, liberi sumus; ex quâ parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hâc morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: [b] Sed quoniam *tentatio est vita humana super terram*, etiamsi à criminibus longè simus, non tamen deest ubi desideriis peccati vel facto vel dicto vel cogitatu obediamus, quando adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta surrepunt: quæ si adversus nos colligantur, etsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. [c] Quis tandem facilè reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam, & avaritiam atque execrabiles iniquitates & impietates Deus, sicut minando prædixit, conterit terras, sic habeat ut habendi sunt; sic cum eis vivat ut cum talibus vivendum est? Plerumque

a *Enchiridii cap. 64.*

b *In Ps. 118. Con. 3. med. Iob. 7. 1.*

c *Lib. 1. de civi. Dei. c. 9.*

enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis malè dissimulatur; vel cùm laboris piget, vel cùm eorum os coram verecundamur offendere, vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas; ita ut (quamvis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet levibus & venialibus metuunt,) jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minimè puniantur. Jure istam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem, peccantibus eis amari esse noluerunt. Nam si propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit,

quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant atque avertant à fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Illud est culpabile, quòd hi qui dissimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere & objurgare deberent, dum eorum offensiones cavent, ne sibi noceant in his rebus quibus licitè boni atque innocentes utuntur, sed cupidiùs quàm oportebat eos qui in hoc mundo peregrinantur, & spem supernæ patriæ præ se gerunt. Non solùm quippe infirmiores, vitam ducentes conjugalem, filios habentes vel habere quærentes, domos ac familias possidentes (quos Apostolus in Ecclesiâ alloquitur docens & monens quemadmodum vivere debeant; & uxores cum maritis, & mariti cum uxoribus, & filij cum

Ephes. 5.

parentibus, & parentes cum filiis, & servi cum dominis, & domini cum servis;) multa temporalia, multa terrena libenter adipiscuntur, & molestè amittunt; propter quæ non audent offendere homines quorum vita sibi contaminatissima & conscelerati ssima displicet: verùm etiam hi, qui superiorem vitæ gradum tenent, nec conjugalibus vinculis irretiti sunt, & victu parvo ac tegumento utuntur, plerumque suæ famæ ac saluti consulentes, dum insidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent. Et quamvis non in tantum eos metuant ut ad similia perpetranda quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant; ea ipsa tamen quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere cùm fortasse possint aliquos corripiendo corrigere; ne, si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitiumque perveniant. Nec eâ consideratione, quâ suam

famam ac salutem vident esse necessariam utilitati erudiendorum hominum, sed eâ potius infirmitate quâ delectat lingua blandiens & humanus dies, & reformidatur vulgi judicium, & carnis excruciatio vel peremptio; hoc est, propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia charitatis. [a] Quâ in re non utique parem, sed longè graviorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur: *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideo tamen ab hujuscemodi culpâ penitùs alienus est, qui, licet præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit & negligit, devitans eorum offensiones propter illa quibus in hâc vitâ non indebitis utitur, sed plusquàm de-

[a] *Lib. 1. de civit. Dei cap. 9.*

Ezech. 33. 6.

buit delectatur. [a] Quid dicam de vindicando vel non vindicando, quandoquidem hoc totum ad eorum salutem proficere volumus, in quos vindicandum aut non vindicandum esse arbitramur? Quis etiam sit vindicandi modus, non solùm pro qualitate vel quantitate culparum, verum etiam pro quibusdam viribus animorum, quid quisque sufferat, quid recusset, ne non solùm non proficiat, sed etiam deficiat; quàm profundum & latebrosum est? Impendentem quoque vindictam metuentes; quæ ab hominibus metuitur, nescio utrum plures correcti sunt, quàm in deterius abierunt, cùm sæpe accidat ut si in quemquam vindicaveris, ipse pereat; si inultum reliqueris, alter pereat. Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quando quove modo custodiam id quod scriptum est: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*; & quod scriptum est: *Corripe eum inter te & ipsum*

a *Epist.* 250.

1. Tim. 5. 20.

Matth. 18. 15.

solum. [a] Necesse est enim ut peccet qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere facit: de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: *Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti poscere homo fidelis.

[b] Quid? cùm ea quæ non approbamus in eorum qui intus sunt sermone vel scriptis; putantesque id ad fraternæ charitatis libertatem pertinere, judicium nostrum non occultamus, & hoc non benevolentiâ, sed invidiâ facere creditur; quantum peccatur in nos? Et cùm similiter eos qui nostras sententias reprehendunt, lædere potiùs velle quàm corrigere suspicamur, quantùm peccamus in alios? Certè hinc existunt inimicitiæ plerumque etiam inter carissimas familiarissimasque personas, dum supra quàm scriptum est, *unus pro altero inflatur adversus alterum*, & dum mordent & comedunt invicem, timendum

a *Lib. 1. oper. ult. Cont. Iul. n. 10.*

Psal. 24. 7.

b *Epist. 250.*

1. Cor. 4. 6.

timendum est ne consumantur ab invicem. [a] Quid, cùm sopitos deludunt somnia sensus, [b] non solùm usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum? [c] Piget cuncta colligere, quæ quisque in seipso certiùs comprehendit atque reprehendit, si divinarum scripturarum speculum non negligenter attendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium & adulterium, vel cætera hujusmodi; tamen omnia simul congregata velut scabies quo plura sunt necant, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi specioſi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desecentur. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus: unde etiam orantes dicimus, quod in totâ istâ vitâ oportet ut dicamus: *Dimitte*

a *Lib.* 4. *cont. Iul. cap.* 2.
b *Lib.* 10. *confess. cap.* 30.
c *Homil.* 50. *cap.* 3.

nobis debita nostra. [a] In quâ oratione si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita justorum, qui ex fide vivunt & perfectè currunt, quamvis sine peccato non sint; unde dicunt, *Dimitte nobis*, quia nondum quò curritur pervenerunt. [b] Peccatum est autem, cùm vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: Quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit. Et tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur. [c] Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est. [d] Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem

[a] *Lib. de perfect. justitia. cap. 8.*

[b] *Ibid. cap. 6.*

[c] *Lib. 2. de pec. mer. cap. 17.*

[d] *Tract. 25. in Ioan. post med.*

hominem ; saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi ut sis humilis. Non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo : tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est ut cognoscas te. [a] Ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam, gratiam claram manifestamque commendans in ipso homine quem tantâ præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim & ipse ita verbo Dei conjunctus, ut ipsâ conjunctione unus Filius Dei, & idem ipse unus filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipuè commendatur ; hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum

[a] *Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.*

existimare audeo, præcipuè docetur & discitur. Ideo quisque nostrûm bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur; ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quòd scit, vel quòd delectatur; ac sic ab elationis vanitate sanetur; & sciat quàm verè non de terrâ istâ, sed spiritualiter dictum sit:
Psal. 84. 13. *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum. [a] Idcirco etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minùs quàm implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est; ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed
[a] *Ibid. cap. 19.*

humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne, facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est: qui error multùm est religioni pietatique contrarius. Nec ideo tamen in eisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus; sed adversus ipsam maximè superbiam propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter; simul intelligentes, & quòd sic conamur, & quòd sic deprecamur, dono illius nos habere; ut in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo gloriemur. [a] Exceptâ itaque sanctâ virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; [b] quicumque in hâc vitâ divinarum scripturarum testimoniis in bonâ voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, & quicumque tales vel post

1. Cor. 15. 32.

a *Lib. de nat. & grat. cap.* 36.

b *Lib. 2. de pecc. merit. cap.* 14.

eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt; omnes magni, omnes justi, omnes veraciter laudabiles sunt; sed sine peccato aliquo non sunt. [a] Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem justè vixisse in hâc carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Joanni qui ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Non enim ait, habuimus; sed, *habemus.* Quod si quis asserit de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostrâ, secundùm vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est; cujus peccati desideriis ne obediamus Paulus Apostolus præcepit: non autem peccare, qui eidem peccato quamvis in carne habitanti ad nullum opus malum omnino consentit vel facti, vel di-

a *Lib. de perfect. justit.* 21.

1. Joan. 1. 8.

Rom. 6. 12.

cti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quòd ei consentire, peccare sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit; sed videat quid agatur de Dominicâ oratione, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectandâ cogitatione, ejusdem peccati desideriis aliquantulùm consentiremus; sed tantummodo dicendum esset: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec Jacobus Apostolus diceret: *In multis offendimus omnes.* Non enim offendit nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo seu vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid quod non debuit, sive fallens sive prævalens persuadet. Postremò, si excepto illo capite nostro, sui corporis salvatore, asseruntur vel fuisse vel esse in hâc vitâ aliqui homi-

Matth. 6. 12.

Ibid. v. 13.

Iacob. 3. 2.

nes justi sine aliquo peccato, sive nunquam consentiendo desideriis ejus, sive quia pro nullo peccato habendum est, quod *tantum est* ut hoc pietati non imputet Deus (quamvis aliter sit beatus sine peccato; aliter autem beatus, *cui non imputat Dominus peccatum*;) non nimis existimo reluctandum: scio enim quibusdam esse visum; quorum de hâc re sententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam. [a] Sed non contendo cum eis qui asserunt.... Fortasse enim ex nostrâ miseriâ magnos metimur, & *comparantes nosmetipsos nobismetipsis*, non intelligimus. Unum scio quòd isti magni, quales non sumus, quales nondum experti sumus, quanto magni sunt, tanto humiliant se in omnibus, ut coram Deo inveniant gratiam. [b] Quin etiam si nemo est aut fuit aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus; & tamen esse aut fuisse, aut fore defenditur & putatur,

Legendum fortè tantusum.

Psal. 31. 2.

a *Lib. de sanctâ virginit. cap. 50.*

2. Cor. 10. 12.

b *Lib. de spir. & litt. cap. 2.*

putatur, [a] sive in istâ frequentiâ hominum, sive in solitudine monachorum, cui non sit jam necessarium, non propter alios, sed etiam propter seipsum dicere in oratione: *Dimitte nobis debita nostra*; [b] quantum ego judicare possum, non multùm erratur, nec perniciosè, cùm quadam quisque benevolentiâ fallitur: si tamen qui hoc putat, seipsum talem esse non putet, nisi reverâ ac liquidò talem se esse perspexerit. [c] Quisquis itaque se diligenter attendens nullâ seipsum adulatione seducit, satis intelligit cum quanto periculo mortis æternæ, & cum quantâ penuriâ perfectæ justitiæ peregrinetur à Domino, quamvis jam in Christo, hoc est, in viâ constitutus redire conetur. Nam si non habemus peccata, & tundentes pectora dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*; ex hoc ipso certè & graviter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipsa sacramenta mentimur. Quamobrem inquantum Deo nostro fide, spe,

a *Lib. de gestis pelag. cap. 30.*

b *Lib. de spir. & litt. cap. 20*

c *Hom. 50. cap. 3.*

Matth. 6.

& charitate connectimur, & eum inquantum possumus, imitamur; non peccamus, sed *filij Dei sumus:* inquantum autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum resurrectione mutata est, motus reprehensibiles improbique surrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit: ne durâ cervice non languoris nostri sanitatem, sed damnationem superbiæ mereamur. Unde utrumque verissimè scriptum est, &, *Qui natus est ex Deo non peccat*; & quod in eadem Joannis Epistolâ legimus, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Illud ergo ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum est. Utrumque enim agimus in hâc vitâ. Paulatim autem novitas accedit, & vetustate cedente succedit. Cùm verò utrumque agitur, in stadio sumus, nec solùm percutimus adversarium bonis operibus, sed etiam peccata

1. Ioan. 3. 2.

Ibid. v. 3.

1. Ioan. 1. 8.

incautiùs evitando percutimur. Neque nunc quis noſtrûm vicerit; ſed quis crebriùs feriat, quis fortiùs confligat, attenditur, donec alios ſecum in ſempiternam mortem pertrahat qui homini ſtanti lapſus invidet, & ab aliis triumphantibus in fine dicatur: *Vbi eſt, mors, contentio tua? Vbi eſt, mors, aculeus tuus?* Sed neque tam facilè ab inimico dejicimur, quàm cùm eum ſuperbiendo imitamur: Nec vehementiùs eum proſternimus, quàm cùm humilitate Deum ſequimur: nec acriores ei dolores infligimus, quàm cùm plagas peccatorum noſtrorum confitendo & pœnitendo ſanamus. [a] Sed dicis, minora ſunt, minuta ſunt, ſine quibus non poteſt eſſe iſta vita. Congere minuta, & faciunt ingentem acervum. Nam & grana minuta ſunt, & tamen maſſam faciunt: & guttæ minutæ ſunt, & flumina implent, & moles trahunt. [b] Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu

1. Cor. 15. 55.

a *In Pſa.* 129. *med.*

b *Epiſt.* 108.

navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? [a] Quid interest utrum te plumbum premat, an arena? plumbum una massa est, arena minuta grana sunt, sed copiâ te premunt. Minuta sunt peccata. [b] Si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. [c] Si contemnis quando appendis, expaveſce quando numeras. [d] Nam rogo vos, quam poterit habere spem salutis piger in remediis, creber in morbis? [e] Sunt autem quædam quæ leviſſima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulneri subjecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens. Mox quippe ait: *Si ergo offers munus tuum ad al-*

a *Ser.* 48. *de diverſ. cap.* 9.

b *Epiſt.* 108.

c *Tract.* 1. *in Ep. Ioan. med.*

d *Serm.* 12. *de diverſ. cap.* 10.

e *Ench. cap.* 79. 80.

Matth. 5. 23.

tare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, &c. Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies observare, & menses, & annos, & tempora; sicut observant qui certis diebus sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus? qui talibus ait: *Timeo vos, ne fortè sine causâ laboraverim in vobis.* Gal. 4. 11. Hinc accidit quòd peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse credantur, usque adeò ut non solùm non occultanda, verum etiam jam prædicanda & diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & qui iniqua gerit, benedicitur.*[a] Quæ sint autem levia; & quæ gravia peccata, non humano sed Divino Psal. 9. 24. [a] *Ibid. cap.* 78.

sunt pensanda judicio. [a] Quis itaque sanæ mentis non ingemiscat ? Cui non per pœnitentiam sic esse displiceat ? Quis non totâ humilitate supplicans divino adjutorio se exaudibilem præbeat, donec transeat omnis ista tentationum materies atque umbra terrena ; & ille qui nunquam deficit, jam nobis illucescat sempiternus dies ? [b] Fratres mei, evigilate ad salutem vestram : evigilate dum tempus est : nullus retardetur à templo Dei. [c] Videtis quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare ? Breviter dico, proficere, ne fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis. Proficite, fratres mei : discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim aliquis est intus tecum, cui erubescas, & jactes te. Est ibi, sed cui placet humilitas. Ipse te probet. Proba & te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti : Si

[a] *Homil. 50. cap. 3.*

[b] *Tract. 12. in Ioan. fin.*

[c] *Serm. 15. de verb. Ap. cap. 15.*

autem dixeris, sufficit, & perîsti. Semper adde, semper ambula; semper profice. Noli in viâ remanere: noli retrò redire: noli deviare. Remanet qui non proficit: retrò redit qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat: deviat qui apostatat. Meliùs it claudus in viâ, quàm cursor præter viam. [a] Ambulatio ista non corporis pedibus, sed mentis affectibus & vitæ moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiæ possessores, qui recto itinere fidei de die in diem in suâ renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiæ viatores. [b] Quandiu ergo peregrinantes à Domino per fidem ambulamus, non per speciem (unde dictum est, *Justus ex fide vivit*, Gal 3. 11.) hæc est nostra in ipsâ peregrinatione Justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus. [c] Hæc est nunc nostra justitia, quâ curri-

a *Lib. 2. de peccat. mer. cap. 13.*

b *Lib. de perfect. justit. c. 8.*

c *Ib. inf.*

mus esurientes & sitientes ad perfectionem justitiæ, ut eâ postea satu-
a *Ib. inf.* remur. [a] Tunc erit justus sine ullo omninò peccato, quia nulla lex erit in membris ejus, repugnans legi mentis ejus: sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâ
Deut. 6 5. & Matth. 22. 37. mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. [b]
b *Lib. de spir. & lit. cap. 36.* Et ipsa dilectio non solùm supra quàm hîc habemus, sed longè *supraquàm petimus, & supraquàm intelligimus*, erit; nec ideo tamen
Ephes. 3. 20. Matth. 22. 37. plus esse poterit quàm *ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente*: Neque enim restat in nobis aliquid, quod addi possit ad totum; quia si restabit aliquid, illud non
c *Lib. de perf. institut. cap. 8.* erit totum. [c] Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hâc vitâ nemo habeat: non enim rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis
d *Lib. de spir. & litt. c. 36.* præceptis ostenderetur. [d] Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur quid fide ex-

poſcere, quò ſpem præmittere, & obliviſcendo quæ retrò ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in eâ quæ perficienda eſt juſtitiâ multùm in hâc vitâ ille profecit, qui quàm longè ſit à perfectione juſtitiæ, proficiendo cognovit. Sed ſi dici poteſt quædam juſtitia minor, huic vitæ competens, quâ *juſtus ex fide vivit*, Gal. 3. 11. quamvis peregrinus à Domino, & ideo *per fidem ambulans, nondum per ſpeciem*; 2. Cor. 5. 7. non abſurdè dicitur, etiam ad iſtam pertinere ne peccet. Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem; aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longè minùs amet Deum, quàm eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum: ſicut etiam in his quæ adjacent ſenſibus corpo-

ris potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissimâ luce defigi. [a] Sic ergo curramus, ut comprehendamus: omnes enim qui rectè currunt, comprehendent; non sicut in agone theatrico *omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam.* Curramus credendo, sperando, desiderando. Curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis hilariter & ex corde faciendo; & currentium vires ut adjuventur, orando: & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

1. Cor 9. 24.

[a] *Lib. de perf. iust. cap. 8.*

Ibid.

SICUT ET NOS DIMITTIMUS debitoribus nostris.

[b] Sponsio hæc cum Deo, vera sponsio, & fixa conditio est. Tu homo es, & habes debitorem, & debitor etiam tu es. Accedis ad Deum qui habet debitores, & debitor non est, ut postules tibi debita

[b] *Ser. 29. de verb. Ap. c. 6.*

relaxari. Sed hoc tibi dicit : Ego debita non habeo ; tu habes debita, debes enim mihi : sed etiam frater tuus debet tibi. Debitor meus es ; habes & tu debitorem. Debitor meus es, quia peccasti in me ; habes debitorem fratrem, quia peccavit in te. Quod feceris cum debitore tuo, facio ego cum meo ; id est, si dimittis, dimitto ; si tenes, teneo. [a] Nunquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet ? Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus est : ille verò eum quem creavit. Inimicos ergo Dei malos & iniquos sæpè in scripturis legimus : & parcit eis ille qui non habet quod ei imputet inimicus : cui omnis inimicus ingratus est, ab illo enim habet quidquid boni habet. [b] Ergo quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, ut imitans patrem, diligas inimicum (*Diligite* enim, inquit, *inimicos vestros*,) in hoc præcepto quomodo exercereris, si nullum inimicum patereris ? Vides ergo prodesse tibi

a *In Ps.* 54 *post init.*

b *Ib. inf.*

Matth. 5. 44.

ad aliquid & quòd Deus parcit malis. Prosit tibi ad habendam misericordiam, quia & tu fortè si bonus es, ex malo factus es bonus: & si Deus non parceret malis, nec tu qui gratias ageres, appareres. Parcat ergo aliis qui pepercit & tibi; non enim cùm transieris, interclu-

[a] *Ib. inf.* denda est via pietatis. [a] Quid est ergo timendum quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te di-

[b] *Ser. 48. de diverſ. cap. 10.* lectio quâ diligis inimicum. [b] Nullo modo nocere tibi potest inimicus sæviens, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ, aut ut multùm, si illi data fuerit potestas, carni tuæ. Nunquid quomodo tu animæ tuæ?

[c] *Ib. inf.* [c] Quid enim tibi prodest malum inimici tui? si malum nullum haberet, nec inimicus tuus esset. Bonum illi opta: finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim inimica tibi est in illo natura humana,

sed culpa. Nunquid ideo tibi est inimicus quòd habet animam & carnem ? hoc est quod tu : Animam habes, animam habet : carnem habes, carnem habet. Consubstantialis tuus est : simili de terrâ facti estis : à Domino animati estis. Hoc est ille quod tu. Respice fratrem tuum. Primi duo parentes nostri erant Adam & Heva : ille pater, illa mater. Ergo nos fratres. Omittamus originem primam. Deus pater, Ecclesia mater. Ergo nos fratres. Sed inimicus meus paganus est, Judæus, hæreticus. Attende quare te monuit Christus ut diligas inimicos. Nunquid ut semper remaneant inimici ? Si ad hoc te monuit ut inimici remaneant, odisti, non diligis. Attende quomodo ipse dilexit, id est, quia nolebat ut sic remanerent sui persecutores. Ait : *Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Quibus voluit ignosci, mutari illos voluit ; quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus est, & verè sic fecit. Occi-

a *Tract. 8. in Ep. Ioan. post med.*

Luc. 23. 34.

sus est, sepultus est, resurrexit, in cælum ascendit, Spiritum sanctum misit discipulis, cæperunt in fiducia prædicare nomen ipsius, miracula faciebant in nomine crucifixi & occisi. Viderunt illi interfectores Domini, & qui sanguinem ejus sæviendo fuderant, credendo biberunt. [a] Sævit in te homo? Ille sævit; tu deprecare: Ille odit; tu miserere. Febris animæ ipsius te odit: sanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? Nunquid ut ægrotos diligunt? si ægrotos diligunt, volunt ut semper ægrotent. Ad hoc diligunt ægrotos, ne ægroti permaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? quales contumelias verborum? plerumque & percutiuntur. Persequitur ille febrem, ignoscit homini. Et quid dicam, fratres? Amat inimicum suum. Imò odit inimicum suum. Morbum enim ipsius odit, & amat hominem à quo percutitur. Odit fe-

[a] *Ibid. inf.*

brem. A quo enim percutitur ? à morbo, ab ægrotatione , à febre. Illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. Sic & tu. Si odit te inimicus tuus, & injustè te odit, noveris quia cupiditas sæculi in illo regnat : propterea te odit. Si odisti illum & tu, contrà reddis malum pro malo. Quid facis reddere malum pro malo ? unum ægrotum flebam, qui te oderat : jam duos plango, si & tu odisti. [a] Intelligat itaque sanctitas vestra quomodo sint portanda peccata. Sunt enim qui portare sibi videntur peccata, & tacent peccatoribus. Jam ista simulatio detestanda est. Porta peccatorem, non ut ames peccatum in illo, sed ut persequaris peccatum propter illum. Dilige peccatorem, non in quantum peccator est, sed inquantum homo est; quomodo si diligis ægrum, persequeris febrem : Nam si parcis febri, non diligis ægrum. Dic ergo quod verum est fratri tuo : noli tacere. [b] Quid times ne malè

a *Ser. 44. de diver. cap. 19.*

b *Tract. 10 in Ep. Ioan. post med.*

facias alicui ? Quis malè facit ei quem diligit ? Dilige , non potest fieri nisi ut benefacias. Sed fortè corripis. Amor hoc facit, non sævitia. Sed fortè cædis. Ad disciplinam facis , quia amor ipsius dilectionis non te permittit negligere indisciplinatum. [a] Fiat hoc , fiat : admittit Deus ; immò reprehendit si non fiat : sed animo dilectionis fac , non animo ultionis. Ubi autem potentiores aliquos injuriosos passus fueris , ubi tibi nec corrigere disciplinâ licet , nec fortè etiam monere aut præcipere ; tolera , securus tolera. [b] Qui fortè pertinent ad gubernationem tuam , vindica , coërce , cum delectione , cum charitate , attendens salutem æternam ; ne cùm parcis carni , anima pereat. Fac hoc , & multos passurus es in quos non potes exercere disciplinam , quia non pertinent ad jura gubernationis tuæ. Ferto injurias , securus esto : *Faciet* enim *misericordias Dominus , & judicium omnibus injuriam accipientibus.*

[a] *In Ps.* 102. *post med.*

[b] *Ib. inf.*

Psal. 102. 6.

Proinde

[a] Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis eam facere utilem, *quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui.* Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat; cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera majora gestamus quàm beatus Apostolus qui dicit: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes: Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ubi intelligendum est tunc potiùs malum pro malo reddi, si corripiendus non corripitur, sed pravâ dissimulatione negligitur. Dicit enim: *Peccantes coram omnibus corripe, ut cæteri timorem habeant.* Quod

a *Lib. de Corr. & grat. cap.* 16.

1. Tim. 2. 4.

Rom. 8. 29.

1. Thess. 5. 14. & 15.

1. Tim. 5. 20.

de his peccatis accipiendum est, quæ non latent; ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille
Matth. 18. 15. enim dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Verumtamen & ipse severitatem correptionis eo usque perducit, ut dicat:
Ibid. 17. *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et quis magis dilexit infirmos quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsâ est in-
Luc. 23. 34. firmitate crucifixus, [a] & pendens
a *In Psal.* 108. *cap.* 1. *med.* in cruce dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?* Cujus vestigia secutus sanctus Stephanus fixo genu oravit pro la-
Act. 7. 59. pidantibus, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc delictum.* Ad quam rem præceptum pertinet:
Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos persequuntur.* [b] Ipse pendens in ligno, ut
b *Ib. inf.* commendaret patientiam, non ostendebat potentiam inter verba

detrahentium, quos posset divinâ potestate delere. Sed nobis utilius erat quod patientiæ præbebat exemplum, quàm si suos inimicos sine dilatione perdendo, ad hoc nos ædificaret ut impatienter festinaremus de his quos malos patimur, vindicari, cùm scriptum sit: *Melior est patiens, quàm fortis vir:* Proverb. 16. 32.

[a] Ut quando aliquos sentimus ingratos, non solùm non reddentes bona, sed insuper reddentes mala pro bonis, nos oremus. Et ipse quidem pro aliis, vel sævientibus vel dolentibus, vel in fide periclitantibus: nos verò etiam pro nobis primitùs, ut animum nostrum Deo miserante atque opitulante vincamus, quo ferimur in ulciscendi cupiditatem, cùm detrahitur sive præsentibus, sive absentibus nobis. Deinde cùm Christi patientiam recordamur, tanquam ipso excitato, sicut factum est cùm dormiret in navi, qui perturbationem cordis nostri tempestatemque tranquillat; animo sedato atque placato oremus

[a] *Ib. inf.* Rom. 12. 17.

Matth. 8. 25.

etiam pro ipsis detractoribus nostris, ut securi dicamus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* [a] Hîc dicet aliquis: [b] at ipse cùm alapâ percussus esset, non ait, ecce altera maxilla ; sed ait : *Si malè dixi, exprobra de malo : si autem benè, quid me cædis?* [c] Cur non fecit quod ipse præcepit? percutienti enim non sic respondere, sed maxillam debuit alteram præbere. Quid quòd & veraciter, mansuetè, justeque respondit, & non solùm alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparavit in ligno ? Et hinc potiùs demonstravit quod demonstrandum fuit, sua scilicet illa magna præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam visibiliter præbeat homo & iratus. [d] Nequaquam igitur præceptum suum, si verba intueamur, implevit : neque enim præbuit percutienti alteram partem, sed potiùs prohibuit

Matth. 6. 12.

a *Tract. 113. in Ioan. post med.*

b *Lib. de mend. cap. 15.* Ioan. 18. 23. Matth. 5. 39.

c *Tract. 113. in Ioan. post med.*

d *Epist. 5 med.*

ne qui fecerat injuriam, augeret: & tamen paratus venerat, non solùm in faciem percuti, verum etiam pro his quoque à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi; pro quibus ait in cruce pendens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34. Nec Paulus Apostolus præceptum Domini & magistri sui videtur implesse, ubi etiam ipse percussus in faciem, dixit Principi sacerdotum: *Percutiet te Deus, paries dealbate*; [a] altissimè intuens, sacerdotium Judæorum jam tale factum esse, ut nomine forinsecùs niteret, intrinsecùs autem luteis concupiscentiis sorderet: quod transiturum esse vindictâ Domini, videbat in spiritu cùm illud diceret: sed tamen cor paratum habebat non solùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam (ad) quælibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione à quibus illa pateretur. [b] Paratus itaque debet esse homo justus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri

Act. 23. 3.

[a] *Lib. de mendac. cap.* 15.

[b] *Epist.* 5. *med.*

a *Ib. inf.* bonos quærit ;[a] ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentiâ, in manifeſto autem id fiat quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus. b Sed propter illud quod ſcriptum eſt in Apocalypſi, ſub arâ Dei martyres ad Deum clamare, & dicere: *Quouſque, Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum?* Non eſt prætereundum quemadmodum accipi oporteat, ne propter exſaturandum odium credantur ſancti deſiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longè abeſt; & tamen ſcriptum eſt: *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam impiorum, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* c Ubi eſt ergo illud: *Diligite inimicos veſtros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos perſequuntur?* Ubi eſt & illud: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, Et: *nulli malum pro malo reddentes?* Si enim malum pro malo non eſt cuiquam reddendum, non ſolùm

b *In Pſal. 78. poſt med.*

Apoc. 6. 10.

Pſ. 57. 11.

c *Ib. inf.* Matth. 5. 44.

1. Pet. 3. 9.

Rom. 12. 17.

factum malum pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto vel voto malo. Reddit autem malum votum, qui etiamsi non seipsum vindicat, tamen ut ejus inimicum Deus puniat, exspectat atque optat. Quapropter cùm & homo justus & homo malus de inimicis suis velint à Domino vindicari; unde discernentur, nisi quia justus & magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri; & cùm in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœnâ, quia non eum odit; sed divinâ justitiâ, quia Deũ diligit? Denique si in hoc sæculo in eum vindicatur; vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur; vel certè pro aliis, ut eum timeant imitari. Ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de benevolentiâ est, non de malitiâ, quòd *lætatur justus cùm videt vindictam, & manus suas lavat*, id est, opera sua mundiora efficit *in sanguine*, hoc est, in exi- Ps. 57. 11.

tio *peccatorum*; sumens inde, non mali alieni gaudium, sed divinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro sæculo, ultimo Dei judicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo; ne benè sit malis; ne piorum præmiis etiam impij perfruantur; quod utique injustum est, & à regulâ veritatis quam justus diligit, alienum. [a] Quæ autem videtur optare inimicis, non malevolentiæ votum est, sed enuntiatio pœnæ illorum: [b] & eo modo illa dicit, tanquam ulciscendi cupiditate ea optet ut fiant, cùm dicantur futura certissimâ veritate, & per Dei justitiam super tales dignè ventura. Quem modum futura prædicendi, velut speciem malè optandi quidam non intelligentes putant odium odio, & malo animo malum animum reddi: quoniam revera paucorum est dignoscere quomodo placeat pœna iniquorum accusatori inimicitiâ se saturare cupienti, & quàm longè alio modo placeat judici rectâ voluntate peccata punienti.

[a] *In Psal. 27. init.*

[b] *In Psal. 108. med.*

nienti. Ille quippe reddit malum pro malo : iſte autem , etiam cùm vindicat , non reddit malum pro malo , quoniam juſtum reddit injuſto : quod autem juſtum eſt , utique bonum eſt. Punit ergo non delectatione alienæ miſeriæ , quod eſt malum pro malo ; ſed dilectione juſtitiæ , quod eſt bonum pro malo. Itaque nec lumini ſcripturarum calumnientur cæci opinantes quòd Deus peccata non puniat : nec , quaſi malum pro malo reddat , ſibi blandiantur injuſti. [a] Sic ergo inimicus diligatur , ut non diſpliceat Domini juſtitia quâ punitur ; & ſic placeat juſtitia quâ punitur , ut non de malo ejus ſed de bono judice gaudeatur. Malevolus enim animus contriſtatur , ſi ejus inimicus correctus evaſerit pœnam : & cùm puniri eum videt , vindicari ita ſe gaudet , ut non juſtitiâ Dei , quem non diligit , ſed illius quem odit , miſeriâ delectetur. Et cùm Deo dimittit judicium , ut plus noceat Deus quàm ipſe nocere poſſit , exo-

[a] *In Pſal.* 78. *poſt med.*

Rom. 12. 19.

ptat: & cùm dat cibum esurienti
Rom. 12. 20. inimico, potumque sitienti, malitiosè sapit quod scriptum est: *Hoc*
Ibid. *enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Agit enim ut ampliùs aggravet, & ei excitet indignationem Dei, quam carbonibus ignis significari putat, non intelligens illum ignem esse pœnitentiæ urentem dolore, quousque caput erectum superbiâ, beneficiis inimici ad humilitatem salubrem deponatur, & in bono illius hujus malum vincatur. Unde Apostolus
Ibid. v. 21. vigilanter adjunxit: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quomodo autem potest vincere in bono malum in superficie bonus, & in abdito malus; qui opere parcit, & corde sævit; manu mitis, voluntate crudelis? [a] Sed ô vos ultores, videte si non estis peccatores. [b] Nos qui sumus, ut vindictam quæramus? si quæreret illam Deus de nobis, ubi remaneremus? [c] Sed ille me læsit, ille in me peccavit, & non vult veniam postulare. Quid

a *In Psal* 102. *post med.*
b *Homil.* 42. *cap.* 7.
c *Homil.* 40. *cap.* 6.

ergo ? Dicturus sum, vade ad illum, & tu pete veniam ? Absit. Nolo mentiaris : nolo dicas, da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi cùm tu fueris tuus accusator ? Quid expetis tibi ignosci ab eo quem non læsisti aut in quem non peccasti ? Nihil tibi prodest, nolo facias. Nosti, bene discussisti, sciisti quia in te peccavit, non tu in illum. [a] Debent inter vos esse alij pacifici, qui illum objurgent, ut à te priùs veniam petat. Tu tantùm paratus esto ignoscere ; prorsus paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc quod ores. Ora pro illo ut petat à te veniam ; quia scis ei nocere, si non petat, ora pro illo ut petat. Dic Domino in oratione tua : Domine, scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potiùs peccasse in me, & obesse illi quòd peccavit in me, si veniam non petat à me : Ego bono animo peto ut ignoscas ei. [b] Qui-

a *lib. inf.*

b *Homil. 40. cap. 5.*

cumque habetis discordias cum fratribus vestris, & revocatis vos ad vos, & consideratis vos, & justum judicium fertis in vos intùs in cordibus vestris, & invenitis vos non debuisse facere quod feciſtis, non debuisse dicere quod dixiſtis; petite veniam fratres à fratribus vestris.

a *Ser. 73. de diverſ. init.*

[a] Si quæ inimicitiæ, quæ vel nasci non debuerunt, vel citò mori debuerunt, & tamen usque ad hoc tempus sive negligentiâ, sive pertinaciâ, sive non modestâ sed superbâ verecundiâ inter fratres perdurare potuerunt, saltem modò finiantur. Super quas sol non debuit occidere, saltem post multos solis ortûs & occasûs etiam ipsæ suo tandem aliquando extinguantur occasu; nec ulteriùs ullo renoventur exortu. Negligens, inimicitias finire obliviscitur; pertinax, veniam non vult concedere cum rogatur; superbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt; sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet

contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiscendo torporem: qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem: qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem. [a] Sunt personæ humiles pro ordine sæculi hujus, à quibus si petamus veniam, extollantur in superbiam. Hoc est quod dico. Aliquando dominus peccat in servum suum (quia si ille dominus est, ille servus; ambo tamen alieni servi sunt, quia ambo Christiani, ambo Christi sanguine redempti sunt) tamen durum videtur ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si fortè dominus homo peccat in servum suum injustè litigando, injustè cædendo, dicat ille: Ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire, si pœniteat eum. Quid

[a] *Homil. 40. cap. 1.*

ergo ? Ante oculos Dei puniat cor suum ; & si non potest dicere servo suo , quia non oportet : Da mihi veniam ; blandè illum alloquatur ; blanda enim appellatio , veniæ est postulatio. [a] Omnis homo , & debitor est Dei , & debitorem habet fratrem suum. Quis est enim qui non sit debitor Dei , nisi in quo nullum potest inveniri peccatum ? Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem , nisi in quem nemo peccavit ? Putasne quisquam in genere humano reperiri potest , qui non & ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo ? Debitor est ergo omnis homo ; habens tamen & ipse debitorem. Ideo Deus justus constituit tibi regulam in debitore tuo , quod faciet & ipse cum suo. [b] Dicit enim Deus : Dimitte , & dimittetur tibi. Si ergo prior dimisi , dimitte vel postea. Nam si non dimiseris , revocabo te , & quidquid tibi dimiseram replicabo tibi. [c] Duo sunt enim opera misericordiæ , quæ nos liberant ; quæ breviter ipse Domi-

[a] *Ser. 15. de ver. Domini. cap. 2.*

[b] *Ib. c. 6.*

[c] *Ibid. cap. 2.*

nus posuit in Evangelio: *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis*, ad ignoscendum pertinet: *date & dabitur vobis*, ad præstandum beneficium pertinet. [a] Ignosci vobis vultis? ignoscite. *Remittite, & remittetur vobis.* Accipere vultis? *Date, & dabitur vobis.* [b] Quam rem Dominus sic ipse commendavit, ut diceret: *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis & pater vester peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; neque pater vester qui in cælis est, dimittet vobis:* [c] quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere .... Non solum ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique

Luc. 7. 37. 38.

a *Ib. inf.*

b *Lib. 21. de Civit. Dei cap. 22.* Matth. 6. 14. 15.

c *Enchiridii cap. 71. 72. 73. & 74.*

necessarium est indigenti ; verùm etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat ; & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur ; non solùm in eo quòd dimittit atque orat, verùm etiam in eo quòd corripit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati ; quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant ; & reddunt errando mala pro bonis ; cùm reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed eâ nihil est majus, quâ ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse

benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & , si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis, illius memor exempli qui in cruce pendens pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit dicens: *Diligite inimicos vestros; benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur.* Matth. 5. 44. Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri cùm in oratione Dominicâ dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; Matth. 5. 12. proculdubiò verba sponsionis hujus implentur, si homo qui nondum

ita profecit ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam sibi roganti vult utique dimitti cùm orat & dicit: *Sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.* Jam verò qui eum in quem peccavit hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. [a] Sanè qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur quoniam Dominus ait: *Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Hoc enim quàm latè pateat, non intelligunt. [b] Est enim eleemosyna opus misericordiæ; verissimeque dictum est: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* [c] Quicumque malè vivis, quicumque infideliter vivis, redi

a *Enchiridii c.* 75.

Luc. 11. 41.

Eccl. 30 24.

b *Ibid. cap.* 76.

c *Serm.* 30. *de verb. Domini cap.* 4.

ad conſcientiam tuam : & ibi invenis mendicantem animam tuam, invenis egentem, invenis pauperem, invenis ærumnoſam, invenis fortè nec egentem, ſed egeſtate obmuteſcentem : nam ſi mendicat, eſurit juſtitiam. [a] Qui ergo dignas pro ſuis peccatis eleemoſynas facit, priùs eas facere incipiat à ſeipſo. Indignum eſt enim ut in ſe non faciat qui facit in proximum, cùm audiat dicentem Dominum : *Diliges proximum tuum tanquam teipſum* ; Itemque audiat : *Miſerere tuæ animæ, placens Deo.* Hanc ergo eleemoſynam, id eſt, ut Deo placeat, non faciens animæ ſuæ, quomodo dignas pro peccatis ſuis eleemoſynas facere dicendus eſt ? Ad hoc enim & illud ſcriptum eſt : *Qui ſibi malignus eſt, cui bonus erit ?* Orationes quippe adjuvant eleemoſynæ : & utique intuendum eſt quod legimus : *Fili, peccaſti ; Ne adjcias iterum, & de præteritis tuis deprecare ut dimittantur tibi.* Propter hoc ergo eleemoſynæ

[a] *Lib.* 22. *de Civit. Dei. cap.* 27.

Matth. 22 39.

Eccli. 30. 24.

Eccli. 14. 5.

Eccli. 21. 1.

faciendæ sunt, ut cùm de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes licentiam malè faciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem Dominus & dexteris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet quantum valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata. Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare; quia & in hoc quod ait: *Quando uni ex minimis meis non feciſtis, mihi non feciſtis*; Ostendit eos non facere, etiam quando se facere existimant. Si enim Christiano esurienti panem tanquam Christo darent, profectò sibi panem justitiæ, quod ipse Christus est, non negarent; quoniam Deus non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit

Matth. 25. 45.

eleemosynam, quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus à Christo. Tanto enim magis quisque deserit Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus. [a] Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitiâ permanendi. [b] Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideò illi das, ut liceat tibi semper impunè peccare; non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. [c] Facite veram eleemosynam. Quid est vera eleemosyna? misericordia. [d] *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*; & qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundùm sæculum, odit eam secundùm Deum. Si ergo vellet ei dare elee-

a *Enchirid. cap.* 77.

b *Homil.* 13. *cap.* 4.

c *Ser.* 30. *de verb. Dom. cap.* 4.

d *Enchirid. cap.* 77. Psal. 10. 6.

mosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundùm sæculum, & diligeret eam secundùm Deum. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi unde det, ab illo accipiat qui non eget; & ideo dictum est: *Misericordia ejus præveniet me*; [a] quoniam & illi justi qui tantâ sanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti sunt de mammôna iniquitatis; ut tales essent, misericordiâ liberati sunt ab eo qui justificat impium, imputans mercedem secundùm gratiam, non secundùm debitum. In eorum quippe numero est Apostolus qui dicit: *Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem.* Illi autem qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est quòd non sint his moribus prædíti, ut eis liberandis, sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere, ac per hoc multo ampliùs in eis *superexaltat misericordia judicium.* Nec tamen ideo putandus

Luc. 11. 41.

a Lib. 21. de Civit. Dei cap. 27.

Psal. 58. 11.

Rom. 4. 5.

Ib. v. 4.

1. Tim. 1. 16.

Iacob. 2. 13.

est quisquam sceleratissimus nequaquam vitâ vel bonâ vel tolerabiliore mutatus, recipi in tabernacula æterna, quoniam obsecutus est sanctis de mammôna iniquitatis, id est, de pecuniâ vel divitiis quæ male fuerant acquisitæ; aut etiamsi benè, non tamen veris, sed quas iniquitas putat esse divitias, quoniam nescit quæ sint veræ divitiæ quibus illi abundant qui & alios recipiunt in æterna tabernacula. Est itaque quidam vitæ modus, nec tam malæ, ut his qui eâ vivunt nihil prosit ad capessendum regnum cælorum largitas eleemosynarum, quibus etiam justorum sustentatur inopia, & fiunt amici qui in tabernacula æterna suscipiant: nec tam bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos fecerint, misericordiam consequantur. Mirari autem soleo, etiam apud Virgilium istam Domini reperiri sententiam, ubi ait: *Facite vobis amicos de mammôna iniquita-* Luc. 16. 9.

tis, ut & ipsi recipiant vos in tabernacula æterna : Cui est & illa similima: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet ; & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Nam cùm Elysios campos Poëta ille describeret, ubi putant habitare animas beatorum ; non solùm ibi posuit eos qui propriis meritis ad illas sedes pervenire potuerunt, sed adjecit, atque ait: *Quique sui memores alios fecére merendo* ; id est, qui promeruerunt alios, eosque sui memores promerendo fecerunt ; prorsus tanquam eis dicerent quod frequentatur ore Christiano, cùm se cuique sanctorum humilis quisque commendat, & dicit: Memor esto mei atque ut id esse possit, promerendo efficit. Sed quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum

Matth. 10. 41.

Æn. 6.

sissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat: quoniam, si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris absumptis intercessio sit inquirenda & speranda justorum, eis secura se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret; sed tantummodò quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammôna iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset. Nunc verò dum venialis iniquitatis, etiamsi perseveret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi orationi instando vigilantiùs adhibetur, & faciendi de mammôna iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.

" Quantumcunque proficias, sperabis in misericordiam: Nam si justi- a *In Psal.* 147. *ante med.*

tia sine misericordiâ prolata fuerit, in quolibet quod damnet, inveniet. Quæ nos consolatur scriptura? quæ hortatur ad misericordiam faciendam, ut omninò crebrescamus in erogando quod amplius habemus. Multa autem superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: Nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra
alb. inf. non est opus Dei. [a] Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur. Faciens ergo hujusmodi misericordias, & illam
Matth. 6. 12. præcipuè quæ gratis constat, dimitte sicut dimittimus; quâ nonnisi charitatem erogas, quæ crescit cùm erogas: Faciens ergo, & fervens in ipsis bonis operibus misericordiæ, quæ jam bona opera, ut jam diximus, tunc non erunt necessaria, quia nullus erit miser in quem facienda sit misericordia; expectabis securus judicium, non

tam ſecurus de juſtitiâ tuâ, quàm ſecurus de miſericordiâ Dei, quia & tu miſericordiam prærogaſti. *Iudicium enim ſine miſericordiâ illi qui non fecit miſericordiam : Superexaltat autem*, inquit, *miſericordia judicium.* [a] Quod ſi non eſſet, quæ ſpes eſſet ? Quandoquidem, cùm rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor ? aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato ? [b] Sed parum habes unde facias. Habes voluntatem ? Quomodo nihil eſſet quod habes, ſi non adeſſet bona voluntas ; ſic & quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi bona voluntas. [c] Calicem aquæ frigidæ qui dederit uni ex minimis, non perdet mercedem ſuam. Quid ſi nec hoc faciat ? Securus ſit etſi nec hoc habet. *Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis.* [d] Venturum ſe Dominus & ad ſiniſtram poſitis gentibus minatur eſſe dicturum : *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Hujus

Iacob. 2. 13.

a *Lib. de perfect. iuſt. c.* 15.

b *In Pſal.* 125. *med.*

Matth. 10. 42.

c *Ibid. poſt med.*

Luc. 2. 14.

d *Lib.* 12 *cont. adverſ. leg. & proph. cap.* 16. Matth. 25. 41.

Ibid. v. 42. tanti ſupplicij quæris cauſam? *Eſurivi*, inquit, *& non dediſtis mihi manducare.* Ecce pro eſcâ temporali, non ablatâ, ſed non datâ, æternum & horrendum ſupplicium comminatur. Et rectè ſi conſulas veritatem. Perparvum eſt enim quod in eleemoſynis datur. Sed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potiùs quia parvum eſt quod datur, magnâ impietate non datur. Unde non mirum eſt quòd tantæ ſterilitati velut infructuoſarum arborum ignis æterni ſupplicium præparatur. Si autem conſulas hominem ut de ſuo reſpondeat tibi, omnis homo mendax contemnit culpam, & exaggerat pœnam: illam quippe non videt mente carnali, hanc exhorret carne mortali. [a] Scriptum eſt: *Conſilium meum audi Rex, & peccata tua eleemoſynis redime,* Et alia multa ſunt divini eloquij documenta quibus oſtenditur multum valere eleemoſynam ad extinguenda & delenda peccata. Proin-

[a] Ser. 50. de temp. cap. 10. Dan. 4. 24.

de illis quos damnaturus est, immò plus illis quos coronaturus solas eleemosynas imputabit, tanquam dicens: difficile est ut si vos examinem, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem. Sed ite in regnum, *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Non ergo itis in regnum quia non peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Et illi tanquam noxij, olim rei, serò trementes; attendentes peccata sua quando auderent dicere immeritò se damnari, immeritò in se hanc depromi à judice tam justo sententiam? Considerando conscientias suas, considerando omnia vulnera animæ suæ quando auderent dicere: injustè damnamur? De quibus antè in sapientiâ dictum est: *Traducent eos ex adverso iniquitates eorum.* Sine dubio videbunt se justè damnari pro sceleribus & crimi-

Matth. 25. 35.

Ib. v. 41.

Sap. 4. 20.

nibus suis. Et quasi eis dicet: non inde unde putatis; sed quia *esurivi, & non dedistis mihi manducare:* Si enim ab illis omnibus vestris factis aversi & ad me conversi illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absolverent: *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabitur.* Modò autem *ite in ignem æternum. Judicium sine misericordiâ ei qui non fecit misericordiam.*

Matth. 25. 42.

Matth. 5. 7.

Matth. 25. 41

Jacob. 2 13.

a *Ibid. cap.* 11.

Ergo audiant homines, digneque considerent quantum sit meritum Christum pavisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem homines in melius pœnitentia peccatorum: sed nec ipsa videtur aliquid profutura si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc veritas per Joannem, qui venientibus ad se dicebat: *Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere ab irâ venturâ? Facite ergo*

Luc 3. 7. 8. 7.

dignos fructus pœnitentiæ; & ne dicatis, patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. De hoc utique fructu superiùs ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quisquis itaque istos fructus non fecerit, sine causâ putat per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorum. Qui sint autem isti fructus, ipse consequenter ostendit; nam post hæc ejus verba *Interrogabant eum turbæ dicentes:* Ib. v. 10. *Quid ergo faciemus?* Id est, qui sunt isti fructus, quos ut faciamus hortaris & terres? Respondens autem dicebat illis: *Qui habet duas tunicas, det* unam *non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Ib. v. 11. Quid manifestius, fratres mei? quid certius? quid expressius? Quid ergo aliud sonat quod superius ait: *Omnis arbor non faciens* Ibid. v. 9.

fructum bonum excidetur & in ignem mittetur ; nisi quod siniſtri
Matth. 25. 41. audituri sunt : *Ite in ignem æternum, esurivi enim & non dedistis mihi maducare?* Parum est itaque recedere à peccatis, si præterita curare neglexeris; sicut scriptum est:
Eccli. 21. 1. *Fili peccasti, ne adjicias iterum.* Et ne hoc solo securum se esse putaret:
Ibid. *Et de præteritis*, inquit, *deprecare, ut tibi dimittantur.* Sed quid prodest deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo
Luc. 3. 8. *fructus dignos pœnitentiæ*, ut tanquam sterilis arbor excidaris & in ignem mittaris? Si ergo exaudiri vultis cùm deprecamini pro peccatis vestris;
Luc. 6. 37. 38. *dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis.*
a *Lib. 2. de Serm. Domini in mon. cap. 8.* Matth. 9. 12. [a] Ex quo intelligitur, etiam in istâ quintâ petitione quâ dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, non de pecuniâ quidem dici, sed de omnibus quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecuniâ. Peccat namque in te qui tibi pecuniam debitam, cùm habeat unde reddat, recusat

recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere: *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus.* [a] Qui ergo vel sponte; vel conventus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nollet reddere: vel quòd non habeat, vel quòd avarus sit, reique alienæ cupidus. Utrumque autem pertinet ad inopiam: nam illa inopia est rei familiaris hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit debitum, inopi dimittit, opusque Christianum operatur, manente illâ regulâ, ut in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modestè & leniter omnimodo egerit, ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quàm ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, & non reddere: non solùm non peccabit, sed proderit ei etiam plurimùm; ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur, quod tanto est gravius, ut nulla sit comparatio.

Ibid.

[a] *Ib. sup.*

ET NE NOS INDUCAS in tentationem.

[a] QUod licet non fiat, nisi voluntas adsit; tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Ideo pro hâc re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius quàm orare ut facias quod in potestate habeas? [b] Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere quod rogari se præcepit ut faciat? [c] *Nolite errare*, inquit Apostolus, *Deus non irridetur*. O homo, non verborum tuorum tantùm, verum etiam cogitationum testis est Deus. Si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. [d] Qui autem orat, & dicit: *Ne nos inferas in tentationem*; non utique id orat ut homo sit, quod est naturâ; neque id orat ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit cum

[a] *Lib. de nat. & grat. cap. 18.*

[b] *Epist. 107. fin.*

[c] *Lib. de Dom. perfect. cap. 2.* Gal. 6. 7.

[d] *Epist. 9. init.* Matth. 6. 13.

crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superiùs dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, neque orat ut accipiat mandatum, si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tentatione defecerit, facit utique peccatum quod est contra mandatum. Orat ergo ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali; quod pro Corinthiis orat Apostolus Paulus dicens: *Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali*. Unde satis apparet quòd ad non peccandum, id est, ad non malè faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas. [a] Atenim voluntate suâ quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit,

Ib. v. 12.

2. Cor. 13. 7.

[a] *Lib. de dono persever. cap.* 6.

Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non
Ps. 84. 7. frustra dicitur: *Deus tu convertens vivificabis nos.* Non frustra dicitur: *Ne des ad movendum pedem*
Ps. 65. 9. Ps. 139. 9. *meum.* Non frustra dicitur: *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori.* Postremò, ne multa commemorem, cùm vobis plura fortasse occurrant, non frustra dicitur: *Ne nos inferas in tentationem.* Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur: & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in
Iacob. 1. 14. nullam prorsus infertur: *Vnusquisque* enim *tentatur*, ut scriptum
Ib. v. 13. est, *à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus. Deus autem neminem tentat*, tentatione scilicet noxiâ. Nam est & utilis, quâ non decipimur vel opprimimur, sed probamur secundùm quod dictum
Ps. 25. 2. Gen. 22. est: *Proba me domine, & tenta*

me. [a] Tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda, non Deo. [b] Et si sciebat se Abraham; nos non noveramus Abraham. Aut sibi, aut certè nobis prodendus erat. Sibi, ut sciret unde gratias ageret: Nobis, ut sciremus vel quid à Domino deprecaremus, vel quid in homine imitaremur. [c] Illâ ergo noxiâ tentatione quam significat Apostolus dicens, *Ne fortè tentaverit vos qui tentat, & inanis sit labor vester*, *Deus*, ut dixi, *neminem tentat*, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationem. Nam tentari, & in tentationem non inferri, non est malum: immò etiam bonum est, hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, *Ne nos inferas in tentationem*, quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatus Cyprianus, *Ne patiaris*

a *Lib. 16. de Civit. Dei. cap. 32.*

b *Ser. 72. de temp. cap. 3.*

c *Lib. de dono persev. cap. 6. 7.* 1. Thess. 3. 5. Iacob. 1. 13. Matth. 6. 13.

nos induci in tentationem. In Evangelio tamen græco nusquam inveni, nisi, *Ne nos inferas in tentationem.* Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus; quod vidit iste venerabilis Martyr. Nam cùm eumdem locum orationis exponeret,

Cypr. ait post cætera: *Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat; cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit: vigilate, &*

Matth. 26. 41. *orate ne veniatis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Si ergo alia

Cap. 7. documenta non essent, hæc Domi-

nica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus sola sufficeret, quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur. Si quidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo: qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantiâ quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in quâ nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo. [a] Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se. Sed

[a] *Serm. 13. de verb. Ap. c. 2.*

jam vulnerata & saucia, non est idonea per liberum arbitrium sanare se. [a] Nunc verò tu naturæ defensor, vel potiùs oppugnator, dum quasi de naturâ sanâ laudas creatorem, excludis à languidâ salvatorem. Qui creavit, sanat: ruentem per seipsam, levat per seipsum. [b] Ita ne tu ita vivis in hoc corruptibili corpore quod *aggravat animam*, ut caro non concupiscat adversus spiritum tuum, & spiritus adversus carnem tuam? Ista rixa non est in te? Nulla est concupiscentia carnis, quæ resistat legi mentis? Si nihil in te alteri resistit, vide totum ubi sit. Si spiritus tuus à carne contrà concupiscente non dissentit, vide ne fortè carni mens tua tota consentiat: vide ne fortè ideo non sit bellum, quia pax perversa est. Fortè in totum carni consentis, & nulla rixa est. Quam spem habes quòd possis aliquando vincere, qui nondum cæpisti pugnare? Si autem condelectaris legi Dei secundùm interiorem hominem, vides autem

a *Serm. 12. de verb. Ap. cap. 4.*

b *Ibid. cap. 3.* Sap. 9. 15. Gal. 5. 17.

Rom. 7. 22. 23.

aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ : si hâc condelectaris, hâc ligaris ; liber es in mente, servus in carne. Si jam ita est, compatere potiùs homini dicenti : *Non quod volo, ago.* Tu enim non vis ut concupiscentia illa quæ resistit menti tuæ ; omnino non sit in te ? Mali voti homo es si tali adversario non vis carere. Ego fateor tibi, quidquid in me rebellat adversus mentem meam, & litigat mecum delectatione contrariâ, quidquid tale in me est, omnino interficere volo. Etsi ei fortè adjuvante Domino non consentio, nolo habere cum quo litigem. Multum est mihi optabilius inimicum non habere, quàm vincere. Neque enim illud ipsum quòd *caro concupiscit adversus spiritum*, non est meum : aut verò ex contrariâ naturâ compactus sum ? Et illud meum est : & quòd ei non consentio, meum est. Pars aliquantùm libera resistit reliquiis servitutis. [a] Non quod volumus, facimus. Quare ?

Rom. 7. 20.

Gal. 5. 17.

[a] *Ser. 43. de verb. Domini cap. 9.* Rom. 7. 20.

Quia volumus ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. [2] Hoc est opus nostrum in hâc vitâ, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere. Quàm multa enim proficientes non jam delectant, quæ antea delectabant? Quando ergo delectabat, & non ei consentiebatur; mortificabatur. Quia jam non delectat, mortificatum est. Calca mortuum, transi ad vivum: Calca jacentem, confligе cum resistente: mortua est enim una delectatio, sed vivit altera: & illam, dum non consentis, mortificas: cùm cœperit omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra: hæc est militia nostra. In hoc agone cùm confligimus, Deum habemus spe-

Gal. 5. 17.

a Serm. 13. de verb. Ap. cap. 9.

ctatorem: in hoc agone laboramus, Deum poscimus adjutorem. Si enim nos ipse non adjuvat; non dico vincere, sed nec pugnare poterimus. [a] *Quid ergo lex? prævaricationis gratiâ posita est*, unde humiliaretur cervix superborum, multum sibi tribuentium, & voluntati suæ tantum arrogantium, ut sibi liberum arbitrium posse putarent ad justitiam sufficere. [b] Noverat Deus superbiam tuam: noverat quia dicebas, ô si sit qui doceat; ô si sit qui mihi ostendat. Ecce lex dicit tibi: *Non concupisces*. Cognovisti legem dicentem: *Non concupisces*. Surrexit concupiscentia, quam non noveras, (inerat enim, sed nesciebatur.) Cœpisti conari vincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe, per legem factus es prævaricator. Agnosce gratiam, [c] quæ nisi adjuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiæ. Hoc est

a Gal. 3. 19. Ibid. cap. 4.

b Ser. 11. de verb. Apost. cap. 8.

Rom. 7. 7.

c Lib. de grat. & libero arb. cap. 4.

quod dicit ille ipse doctor gentium: *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Ecce unde dicit homo: volo legis servare mandatum, sed virtute concupiscentiæ meæ vincor. Et cùm voluntas ejus convenitur & ei dicitur, *noli vinci à malo*; quid ei prodest, nisi gratiâ succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adjunxit: nam & cùm dixisset, *Virtus verò peccati lex*; continuò subjecit: *Gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ergo & victoria quâ peccatum vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. propter quod dicit & cælestis magister: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illâ abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam.

1. Cor. 15. 56.

Rom. 12. 21.

1. Cor. 15. 57.

Matth. 26. 41.

Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem.[a] Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos participes faceret divinitatis suæ.[b] Per hunc amorem Creatoris benè quisque utitur etiam creaturis: sine hoc amore Creatoris nullus quisquam benè utitur creaturis.[c] Sicut enim *radix est omnium malorum cupiditas*: sic & radix omnium bonorum charitas.[d] Tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas omnia peccata concludunt, quæ mihi videntur à Joanne Apostolo enumerata cùm dicit: *Nolite diligere mundum; quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæcu-*

a *Lib. 21. de Civit. Dei c. 16.*

b *Lib. 4. contra Julian. cap. 3. fin.*

c *Serm. 12 de verb. Do. cap. 3.* 1. Tim 6. 10.

d *In Psal. 8. fin.*

1. Joan. 2. 15. 16.

li. [a] Omnes enim dilectores mundi, qui dilectione inhabitant mundum, sicut cælum inhabitant quorum sursum est cor & ambulant carne in terrâ: omnes ergo dilectores mundi, mundus vocantur. Ipsi non habent nisi ista tria, desiderium carnis, desiderium oculorum, & ambitionem sæculi. Desiderant enim manducare, bibere, concumbere, uti voluptatibus istis. Nunquid non est in his modus; aut quando dicitur, nolite ista diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? Non hoc dicitur: sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis quod ad utendum habere debetis. [b] Alimentorum sustentaculis indigemus. Si suavia non sint quæ ore sumuntur; nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & pernicioſa sunt cavenda fastidia... Cùm ergo natura poscit supplementa quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut

a *Tract. 2. in Epist. Ioan. fin.*

b *Lib. 4. con. Iul. cap. 14.*

sitis. Cùm verò suppletâ necessitate amor edendi animum solicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. [a] Hoc malo quantum attinet ad eam partem quâ sibi sexus uterque miscetur, bene utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam. [b] Quantæ autem & quàm tranquillæ potestatis essemus, etiam de his motibus quibus alimenta sumuntur & digeruntur, in illâ felicitate paradisi, quis possit ut certum est, indagare, quis ut dignum est, explicare? [c] Sed nullâ ratione crediderim in illo tantæ felicitatis loco aut carnem concupivisse adversus spiritum, & spiritum adversus carnem, atque in istâ conflictatione sine internâ pace vixisse; aut spiritum desideriis non repugnasse carnalibus, sed quidquid undecumque libido suggesserat, turpi servitio peregisse: [d] Nondum quippe anima rationalis, domina carnis, inobediens extiterat Domi-

a *Lib. sup.*

b *Lib. 5. cont. Iul. cap. 5.*

c *Lib. 4. cont. Iul. cap. 14.*

d *Lib. 2. de pecc. mer. cap. 22.*

no ſuo, ut pœnâ reciprocâ inobedientem experiretur carnem famulam ſuam cum ſenſu quodam confuſionis & moleſtiæ ſuæ : quem ſenſum certè ipſa per inobedientiam ſuam non intulit Deo : Neque enim Deo pudendum eſt aut moleſtum, ſi nos ei non obedimus, cujus in nos ſummam poteſtatem nullomodo minuere valeamus : ſed nobis pudendum eſt quòd imperio noſtro caro non ſervit, quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus, vocaturque peccatum habitans in membris noſtris. Sic eſt autem hoc peccatum, ut ſit pœna peccati.[a] Remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiſcentia, ſed ille fuerit vivendi modus, ut omnia neceſſaria congruis membrorum officiis ſine ullius motu libidinis implerentur (non enim quia terra non libidine ſed voluntate motis agricolarum manibus ſeminatur, ideo ſuos pariendos non concipit fœtus :) aut ne nimiùm videamur offendere homines qui

[a] *Lib. 4. cont. Iul. cap. 14.*

voluptatem

voluptatem corporis quomodocumque defendunt, ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, ut omnimodo rationali subdita voluntati, non alias adesset, nisi cùm per illam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagini consulendum, & tanta adesset ut nullâ ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret, nullus supervacuus sive importunus motus esset ex illâ, nihil nisi quod prodesset, fieret per illam, nihil omnino fieret propter illam. Nunc verò quàm se aliter habeat, qui dimicant adversus eam, hi maximè sentiunt. Ingerit se videntibus vel audientibus aliquid, quamvis propter aliud videant & audiant, ut etiamsi tangendi non inde percipit voluptatem, saltem voluptariam cogitationem inter necessaria quæ ad eam non pertinent, motu obrepente furetur. In his porrò cogitationibus etiam quando nihil illecebrosum adjacet oculis aut insonat auribus, quæ non cona-

tur etiam obsoleta atque sopita, recordationibus inquietis cum turpi delectatione refricare, & castis sanctisque intentionibus tumultu quodam sordidæ interpellationis obstrepere? Jam verò cum ad usum ventum fuerit necessariæ voluptatis per quam reficimus corpus, quis verbis explicet quemadmodum nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis, si qua adsint delectabilia, rapiendo abscondat & transeat, putantibus nobis satis non esse quod satis est, dum libenter ejus provocationibus ducimur existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis. [a] Ita nescit cupiditas ubi finiatur necessitas. [b] Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. [c] Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores

[a] *Ibid.*

[b] *Lib. 10. Confess. cap. 31.*

[c] *Ibid. cap. 34.*

amant oculi. [a] Regina colorum, lux ista perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti, & eum non advertenti. Insinuat autem se ita vehementer, ut si repentè substrahatur, cum desiderio requiratur; & si diu absit, contristat animum. [b] Quàm innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, & hujuscemodi fabricationibus, picturis etiam diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum, & piam significationem longè transgredientibus addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt? [c] Movetur certè animus ad pietatis affectum divino cantico audito: tamen etiam illic si sonum non sensum libido audiendi desideret, improbatur: quanto magis si cantiunculis inanibus vel etiam turpibus delectatur? Cæteri tres

a *lib. inf.*

b *lib. inf.*

c *Lib. 4. contra Iulian. cap. 4.*

sensus corpulentiores & quodammodo crassiores sunt, nec se foras projiciunt, sed interiùs quod ad eos pertinet, agunt. Odor ab olfaciente discernitur, sapor à gustante, tactus à tangente plurima. Non enim hoc est calidum & frigidum, quod lene & asperum, aut ista hòc sunt quod molle ac durum, & ab his omnibus distat quod dicitur leve seu grave. In his omnibus quando molesta vitantur, ut putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & gravia; commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea verò quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliquâ sumuntur delectatione cùm præstò sunt; tamen cùm absunt, nullâ sunt desideranda libidine: si autem desiderantur, non est bonum: in quibuslibet enim rebus talis domandus & sanandus est appetitus. Quis enim quantuscumque sit car-

nalis concupiſcentiæ caſtigator, ſi locum thymiamate intraverit odoratum, poſſit efficere ut ei non ſuaviter oleat, niſi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à corporis ſenſibus? Sed nunquid cùm inde fuerit egreſſus, id domi ſuæ vel quacumque pergit, deſiderabit: aut ſi deſideraverit, ſatiare debet iſtam libidinem, non frænare, & contra concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere donec ad illam redeat ſanitatem quâ nihil tale deſideret? Minimum hoc quidem: *Sed qui minima ſpernit*, ſicut ſcriptum eſt, *paulatim decidit*. [a] Huc accedit alia forma tentationis multipliciùs perieuloſa. Præter eam enim concupiſcentiam carnis quæ ineſt in delectatione omnium ſenſuum & voluptatum... ineſt animæ per eoſdem corporis ſenſus quædam, non ſe oblectandi in carne, ſed experiendi per carnem vana & curioſa cupiditas, nomine cognitionis & ſcientiæ palliata. Quæ quoniam & in appetitu

Eccli. 19. 1.

a *Lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 35.

noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus princi-
1. Ioan. 2. 16. pes, *concupiscentia oculorum* elo-
a *Ib. inf.* quio divino appellata est. [a] Ex hoc autem evidentiùs discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus; quòd voluptas pulchra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur: curiositas autem etiam his contraria, tentandi causâ, non ad
* Fortè, sed experiendi noscendique libidine. subeundam molestiam, sed * ad experiendi noscendique libidinem. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreas: & tamen sicubi jaceat, concurrunt, ut contristentur, ut palleant. Timent etiam ne in somnis hoc videant, quasi quisquam eos vigilantes videre coëgerit, aut pulchritudinis ulla fama persuaserit. Ita & in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Et ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ secreta quæ præter nos est operata, proceditur: quæ scire nihil prodest, & nihil

aliud quàm scire homines cupiunt. Hinc etiam si quid eodem perversæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsâ Religione Deus tentatur, cùm signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.[a] In quàm multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur? Et, quàm sæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania primò quasi toleramus ne offendamus infirmos, deinde paulatim advertimus?[b] Quod cùm facimus, talium delectatio subrepit & nobis, ut sæpè etiam loqui vana delectet, auremque præbere loquentibus, nec arridere tantùm, sed etiam risu vinci ac solvi.[c] Canem currentem post leporem jam non specto cùm in circo fit. At verò in agro si casu transeam, avertit me fortassis ab aliquâ magnâ cogitatione, atque ad se convertit illa venatio.[d] Quid cùm me domi sedentem stellio muscas captans, vel ara-

[a] *lib. infr.*

[b] *Epist. 250. post initium.*

[c] *Lib. 10. Confess.*

[d] *lib. inf.*

nea retibus suis irruentes implicans sæpe intentum facit ? Num quia parva sunt animalia, ideo non res eadem geritur ? [a] Ambitio sæculi, superbia est. [b] Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus ? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. [c] A quo enim habet ut sit, apud illum habet ut ei bene sit. [d] Porrò autem si perversè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet à quo formetur, non habet à quo rogatur, sic ipse velit suâ potestate uti, ut quomodo Deus, nullo formante, nullo regente vivat : quid restat, fratres, nisi ut recedens ab ejus calore torpescat, recedens à veritate vanescat, recedens ab eo quod summè atque incomparabiliter est, in deterius mutatus deficiat ? Hoc diabolus fecit : imitari Deum voluit, sed perversè : non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub præcepto

[a] *Tract. 2 in Epist. Ioan. fin.*
[b] *Lib. 14. de Civit. Dei. cap. 13.*
[c] *In Ps. 70. conc. 2. med.*
[d] *Ib. inf.*

præcepto audivit à Domino Deo: Noli tangere. Quid? hanc arborem. [a] Quid illi deerat? Dicatur mihi: quid illi deerat, in paradiſo conſtituto, in mediâ opulentiâ, mediiſque deliciis, cui magnæ deliciæ erant ipſa viſio Dei, cujus faciem quaſi inimici timuit poſt peccatum? Quid illi deerat ut tangeret, niſi quia ſuâ poteſtate uti voluit, præceptum rumpere delectavit, ut nullo dominante fieret ſicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur? [b] Hinc enim & delectavit quod dictum eſt: *Eritis ſicut Dij*: quod melius eſſe poſſent ſummo veroque principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam. [c] Spontaneus eſt autem iſte defectus: quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret & frigeſceret, ut

a *lib. inf.* Gen. 2. & 3.

b *Lib.* 14. *de Civit. Dei. cap.* 11. Gen. 3.5.

c *lib. ſup.*

vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. [a] Illud itaque malum, quo cùm sibi homo placet tanquam & ipse sit lumen, avertitur ab eo lumine quod ei si placet & ipse fit lumen: illud, inquam, malum præcesserat in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto: Verum est enim quod scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* [b] Meritò initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit dicens: *Initium omnis peccati superbia.* Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud quod Apostolus ait: *Radix omnium malorum est avaritia*: si avaritiam generalem intelligamus, quâ quisque appetit aliquid ampliùs quàm oportet, propter excellentiam suam & quemdam propriæ rei a-

a *Ib. inf.*

Proverb. 16. 18.

b *Lib. 11. de gen. ad litt. cap. 15.*

Eccl. 10. 15.

1. Tim. 6. 10.

morem, cui sapienter nomen Latina lingua indidit cùm appellavit privatum, quod potiùs à detrimento quàm ab incremento dictum elucet; omnis enim privatio minuit. Unde itaque vult eminere superbia, inde in angustias egestatemque contruditur, cùm ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. [a] Sermo autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata suffragia tentat.... [b] Et sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur; ideoque non jam de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur: Non enim eam contemnit cùm gloriatur intus. [c] Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lætari: sed & omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre: [d]

a *Lib.* 10. *Confess. cap.* 38.

b *Ib. nis.*

c *Ep.* 64. *post med.*

quia etsi cuiquam facile est laude carere dum denegatur, difficile est eâ non delectari cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non meritò laudemur, corrigamus eos quos possumus; ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est; aut ea laudent quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia quæ vel cum pecoribus habemus communia vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur, propter Deum gratulemur eis quibus placet verum bonum, non tamen nobis quia placemus hominibus: sed si coram Deo tales sumus quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis sed Deo, cujus dona sunt omnia quæ verè meritoque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potiùs ille cujus salutaria præcepta sunt quæcumque sive in Divinis lectionibus inveniuntur, sive quæ intrinsecus

animo suggeruntur : & tamen vehementer cum adversario dimicans , sæpe ab eo vulnera capio , cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. [a] Nam & contristor aliquando laudibus meis, cùm vel ea laudantur in me , in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora & levia pluris æstimantur quàm æstimanda sunt. Sed rursus unde scio an propterea sic afficior quia nolo de meipso à me dissentire laudatorem meum , non quia illius utilitate moveor ? [b] Iterùm me diligentiùs interrogem. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis , cur minùs moveor si quisquam alius injustè vituperetur, quàm si ego ? Cur eâ contumeliâ magis mordeor , quæ in me , quàm quæ in alium eâdem iniquitate coram me jacitur ? An & ego hoc nescio ? Etiamne id restat ut ipse me seducam ? [c] Est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me ; in hoc penè nulla est. Nam & à volupta-

a *Lib. 10. conf. cap. 37.*

b *Ib. inf.*

c *Lib. 10. conf. cap. 37.*

tibus carnis, & à curiosítate supervacanea cognoscendi video quantum assecutus sim posse refrænare animum meum, cùm eis rebus careo, vel voluntate, vel cùm absunt. Tunc enim me interrogo quàm magis minusve mihi molestum sit non habere. Divitiæ verò, quæ ob hoc expetuntur ut alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus serviant, si per se discere non potest animus utrum eas habens contemnat, possunt & dimitti ut se probet. Laude verò ut careamus, atque in eo experiamur quid possumus, nunquid malè vivendum est, & tam perditè atque immaniter, ut nemo nos noverit, qui non detestetur? Quæ major dementia dici aut cogitari potest? At si bonæ vitæ bonorumque operum comes & solet & debet esse laudatio, tam comitatum ejus quàm ipsam bonam vitam deseri non oportet. Non autem sentio sine quo esse aut æquo animo aut ægrè possim, nisi cùm abfuerit.

[a] Tentamur his tentationibus quotidie Domine: sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Da quod jubes, & jube quod vis. [b] Non quia ipsa laus humana culpanda sit (nam quid tam optandum est hominibus, quàm ut eis placeant quæ debeant imitari?) Sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. [c] Propter quam multa magna fecerunt qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumque laudati in civitatibus gentium: quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, justeque viventes: ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam, vani vanam. [d] Interest sanè inter cupiditatem humanæ gloriæ, & cupiditatem dominationis. Nam licet proclive sit ut qui humanâ gloriâ nimium delectatur, etiam dominari ardenter affectet: tamen qui

a *Ib. sup.*

b *In Ps.* 118. *conc.* 12. *med.*

c *Ib. sup.*

d *Lib.* 5. *de Civit. Dei. cap.* 19.

veram, licet humanarum laudum gloriam concupiſcunt, dant operam bene judicantibus non diſplicere. [a] Quiſquis autem ſine cupiditate gloriæ, quâ veretur homo benè judicantibus diſplicere, dominari atque imperare deſiderat, etiam per apertiſſima ſcelera quærit plerumque obtinere quod diligit. [b] Propter hoc vitium, propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum Deus humilis venit. Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cælo deduxit, uſque ad formam ſervi humiliavit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit, ut per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus. [c] Qui ergo vult mundum vincere, tria iſta vincat quæ ſunt in mundo: & per hæc illum vincit etiam, qui ſuadendo per ſuperbiam decipit mundum. [d] Nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, niſi aut deſiderio

a *Ib. inf.*

b *In Pſ. 18. exp. 2. 2. fin.*

c *Lib. 3. de Symb. ad Catechum. c. 1.*

d *Tract. 2. in Ep. Ioan. fin.*

carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi. Per ista tria tentatus est Dominus à diabolo. Desiderio carnis tentatus est quando dictum est ei: *Si filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant:* quando esurivit post jejunium. Sed quomodo repulit tentatorem, & docuit pugnare militem? Attende quid illi ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei:* [a] Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit. [b] Tentatus est & desiderio oculorum de miraculo, quando ei dixit: *Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis mandavit de te, ut suscipiant te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum.* [c] Sed neque hîc victus est, & ideo sic respondit ut intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum tentationibus visibiliter divina explorare molientibus. *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum:* [d] Id est, si hoc fecero, tentabo Deum;

1. Ioan. 2. 16.

Matth. 4. 3.

Ibid. v. 4. & Deut. 8. 3.

a *Lib. de verâ Relig. c.* 38.

b *Tract.* 2. *in Ep. Ioan. fin.*

Matth. 4. 6.

c *Lib de vera Relig. c.* 38.

Matth. 4. 7.

d *Tract.* 2. *in Ep. Ioan. fin.*

[a] non enim ut se de fastigio templi præcipitaret, urgebat, nisi causâ tantùm aliquid experiendi. [b] De ambitione sæculi quomodo tentatus est Dominus? Quomodo elevavit eum in excelsum, & dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* De elatione regni terreni voluit tentare Regem sæculorum: sed Dominus qui fecit cælum & terram, Diabolum calcabat. Quid magnum à Domino Diabolum vinci? Quid ergo respondit Diabolo nisi quod te docuit ut respondeas? *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* [c] Ita calcata est superbia. [d] Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur, non quærit in istâ eremo voluptatem: qui uni Deo tantùm subjectus est, non quærit in monte, id est, in terrenâ elatione jactantiam: quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhæresci, non per fastigium hujus corporis, id est, per hos oculos præcipitatur, ut temporalia &

a *Lib. de vera Relig. c. 38.*
b *Tract. 2. in Ep. Ioan. fin.*
Matth. 4. 9.
Ibid. v. 10. &
c *Lib. de vera Relig. c. 38.*
d *Ib. inf.*

inferiora cognoscat. [a] Cùm istâ triplici tentatione Dominus fuisset tentatus, quia in omnibus illecebris mundi hujus tria sunt, aut voluptas, aut curiositas, aut superbia: quid ait Evangelista? Postquàm perfecit Diabolus omnem tentationem: omnem scilicet ad illecebram pertinentem. [b] Duo sunt enim quæ in peccata homines aut alliciunt aut impellunt: Voluptas, aut dolor. Voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates necessaria est continentia: contra dolores patientia. Hoc enim modo suggeritur humanæ menti, ut peccet. Aliquando dicitur, fac, & hoc habebis: aliquando autem, fac, ne hoc patiaris. Voluptatem præcedit promissio, dolorem comminatio. Ut ergo habeant homines voluptatem, vel non patiantur dolorem, peccant. [c] Extenta est & parata muscipula inimici. Posuit in muscipulâ errorem & terrorem: Errorem quo illiciat: terrorem quo frangat & rapiat. Tu claude

a *Homil. 1. de div. m. d.*

b *Ser. 42. de diver. cap. 1.*

c *In Psal. 30. Conc. 1 post m. d.*

januam cupiditatis contra errorem: tu claude januam timoris contra terrorem, & educêris de muscipulâ. Hujusmodi pugnæ exemplum ipse tibi Imperator tuus qui propter te etiam tentari dignatus est, in se demonstravit & primò tentatus est illecebris, quia tentata est in illo janua cupiditatis, quando eum tentavit Diabolus. [a] At ubi clausam januam invenit cupiditatis in eo qui tentabatur pro nobis, convertit se ad tentandam januam timoris, & præparavit illi passionem. Denique hoc dicit Evangelista: *Et consummatâ tentatione Diabolus recessit ab eo ad tempus.* Quid est ad tempus? Tanquam rediturus, & tentaturus januam timoris, quia clausam invenit januam cupiditatis. [b] Non enim seducit ille aut trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliquâ parte jam similem sibi. Invenit enim eum aliquid cupientem, & cupiditas aperit januam intranti suggestioni Diaboli. Invenit illum aliquid ti-

[a] *Ib. inf.*

Luc. 4. 13.

[b] *Serm. 20. de diverſ. c. 11.*

mentem : monet ut fugiat quod illum invenit timere : monet ut adipiscatur quod illum invenit cupere : & per has duas januas cupiditatis & timoris intrat. ([a] Sed quomodo ista fiant, ut Diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, ut eas tanquam suas deputet homo; unde scit homo?) Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blandâ promissione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus est & terrere : Promittere regnum cælorum, terrere de suppliciis inferorum. Dulcis est voluptas, sed dulcior est Deus : malus est dolor temporalis, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amoribus, immò pro immundis amoribus : habes quod timeas pro mundi terroribus. Sed parum est moneri, nisi impetres adjuvari. [c] Intelligenda est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, quâ solâ homines liberantur à malo, & sine quâ nul-

[a] *Tract. 55. in Ioan. med.*

[b] *Ser. 42. de diver. cap. 1. 2.*

[c] *Lib. de Corr. & grat. c. 2.*

lum prorsus, sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solùm ut monstrante ipsâ quid faciendum sit, sciant; verùm etiam ut præstante ipsâ faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: *Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali: non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est, faciatis.* [a] Non se itaque fallant qui dicunt: ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potiùs intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatio-

2 Cor. 13. 7.

a *Ib. inf.*

ne justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo; orent ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt quod non accepturi sunt: aut quid habent quod non acceperunt? [a] Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas, vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem su-

[a] *Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.*

perbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si filij sint misericordiæ, [a] ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem quâ illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem quâ det fructum suum terra eorum. Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque justitiam; quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratiâ didicimus dum antea lateret, ejus gratiâ dileximus dum antea non delectaret, ut *qui gloriatur*, non in se sed *in Domino glorietur*. [b] Nullomodo tamen dicendum est, Deo deesse possibilitatem quâ voluntas sic adjuvetur humana, [c] ut hodie nullas concupiscentias malas habere possimus, contra quas vel invictissimè dimicemus: [d] quandoquidem si nunc velit in quoquam etiam hoc corruptibile induere incorruptionem, atque hîc inter homines morituros

a *Ibid. cap. 19.*

1. Cor. 1. 32.

b *Lib. de spir. & lit. cap. ult.*

c *Lib. 4. cont. Iul. cap. 3. multò post med.*

d *Lib. de spir. & lit. cap. ult.*

rituros eum jubere vivere minimè moriturum, ut totâ penitus vetustate consumptâ nulla lex in membris ejus repugnet legi mentis, Deumque ubique præsentem ita cognoscat sicut sancti postea cognituri sunt; quis demens audeat affirmare non posse? Cur autem non fiat, *quis cognovit sensum Domini*? Non tamen parum scio, cùm scio, quæcumque illa causa sit, quòd nec justi Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in ejus abdito altoque consilio, cur quandiu vivimus in hâc carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra: est etiam propter quod dicamus, *Dimitte nobis debita nostra*. Sed ut tibi sic loquar tanquam homini homo, & talis homo cujus *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*; nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi

a *Lib.* 4. *cont. Iul. cap.* 3. *multò post med.*

Rom. 11. 34.

Matth. 6. 12.

Sap. 9. 15.

placeat, magisque seipsa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, immò perniciosè sibi placeat, cùm per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt sicut videbit in fine summum illud & immutabile bonum, in cujus comparatione se spernat, sibique illius charitate vilescat, tantoque spiritu ejus impleatur, ut id sibi non ratione solâ, sed æterno quoque amore præponat: multum est disputando velle monstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame revertitur ad semetipsum, & dicit: *Surgam, & ibo ad patrem meum.*[a] Ideo factum est in loco infirmitatis hujus, ne superbè viveremus, ut sub quotidianâ peccatorum remissione vivamus.[b] Non itaque dicitur homini, necesse est peccare, ne pecces: sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.[c] Sed Deus, inquiunt, potest omnia sa-

Luc. 15. 18.

a *Ib. inf.*

b *Lib. de nat. & gr. cap. 28.*

c *Ibid. cap. 27.*

nare. Hoc utique agit ut sanet omnia : sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Proculdubiò quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit : *Virtus in infirmitate perficitur* ; & non ei toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis ; quem sibi dicit datum ne magnitudine revelationum extolleretur. Cætera enim vitia tantùm in malèfactis valent : sola autem superbia etiam in rectè factis cavenda est. Unde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo sesequè extollendo graviùs pereant, quàm si nihil operarentur boni, quibus dicitur : *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini : Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bonâ voluntate.* Quare ergo cum timore, & tremore, & non potiùs cum securitate, si Deus operatur ; nisi quia propter voluntatem nostram, sine quâ benè non possumus operari, citò potest subrepere

2. Cor. 12. 9.

Philip. 2. 12. 13.

animo humano, ut quod benè operatur, ſuum tantummodò exiſtimet, & *dicat in abundantiâ ſuâ, Non movebor in æternum?* Ideo qui in voluntate ſuâ præſtiterat decori ejus virtutem, avertit paululùm faciem ſuam, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus; quoniam ipſis eſt ille tumor ſanandus doloribus. Hæc vox & Apoſtoli Petri eſſe potuit; dixerat quippe & ipſe in abundantiâ ſuâ: *Animam meam pro te ponam*; ſibi feſtinando tribuens quod ei fuerat à Domino poſtea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Dominus, *factus eſt conturbatus*, ita ut eum, mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rurſus convertit ad eum faciem ſuam Dominus, & culpam lacrymis diluit. Quid eſt enim aliud: *Reſpexit eum*; niſi, [b] latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ ſuâ viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum? Ecce quemadmo-

Pſal. 29. 6.

Ibid.

a *Lib. de corr. & grat. cap. 9.*

Ioan. 13. 37.

Pſal. 29. 9.

Luc. 22. 61.

b *Lib. de Grat. Chr. cap. 45.*

dum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris : Ecce quemadmodum *& velle & operari operatur in nobis.*[a] *Factus* ergo *fuerat conturbatus* : sed quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui *diligentibus eum omnia cooperantur in bonum.*[b] Salubriùs enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quàm sibi placuit quando præsumpsit.[c] Hoc superbia malum tunc animum tentare non poterit, & contra quod decertemus omnino nullum erit, quando tantâ satiabitur visione, & tantâ inflammabitur charitate superioris boni, ut ad seipsum sibi placendo deficere ab illius dilectione non possit.[d] Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet; pro quâ sanandâ illi piæ animæ cum lacrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam & quodammodo

Phil. 2. 13.

a *Lib. de Corr. & grat. cap.* 9.

Rom. 8. 28.

b *Lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 13.

c *Lib.* 4. *cont. Iul. cap.* 3.

d *Lib. de nat. & grat. c.* 33.

calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam; ex ipsâ lætitiâ caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo: quid triumphas? & ideò vivo quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illâ quasi victâ triumphare delectat, cùm extrema ejus umbra de illo meridie, quantum arbitror, absorbebitur: qui meridies Scripturâ dicente promittitur: *Et educet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem*; si fiat quod supra scriptum est: *Revela ad Dominum viam tuam, & spera in eum; & ipse faciet.* [a] Ubi quidem operamur & nos: sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem, ut sanemur; quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Prævenit, ut vocemur; subsequetur, ut glorificemur. Prævenit, ut piè vivamus; subsequetur, ut cum illo semper vivamus: quia sine illo

Psal. 36 5. 6.
Psal. 58. 11.
a *Ib. c.* 31.
Psal. 22. 3.

nihil possumus facere. [a] Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi voluntas de teipso certa est, nec times, *Qui videtur stare, videat ne cadat.* Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? [b] An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret? [c] Nolite pigri esse, & malè securi. [d] Si quæ delectationes sæculi subrepunt in animam, exercete vos in misericordiâ, exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt non subrepere in animam propter fragilitatem humanam. [e] Conamini non facere, & si fieri potest, nulla facite: si autem fieri non potest ut nulla faciatis, maneat tamen illa pia confessio. Erit enim respe-

b *Lib. de præd. san. cap.* 11.

1. Cor. 10. 12.

a *Lib. de dono pers. c.* 22.

c *Lib. de d cem. Chord. c. ult.*

d *Ibid. cap.* 11.

e *Ser.* 107. *de temp. cap.* 8.

ctus misericordiæ ipsius, ut te conante omnia perimere, & quantum adjuverit, perimente, de reliquis quæ tibi restant in itinere invento, & in conatu comprehenso facilè ignoscat: tantùm proficere affecta, non deficere. Si non te invenit dies ultimus victorem, inveniat vel pugnantem, non captum & addictum. [a] Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est; non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram. [b] Sic ergo, dilectissimi, diligite otium, ut vos ab omni terrenâ delectatione refrænetis, & memineritis nullum locum esse ubi non possit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum. [c] (Quis enim pertinens ad Christum non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cum illo Diabolus & Angeli ejus, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet

a *Ep.* 81.

Deut. 17. 11.

b *Ib. inf.*

c *In Psal.* 62. *fin.*

qualibet ſuggeſtione ?) [a] Item cùm aliquid ſtrenuè atque alacriter agitis, & impigrè operamini, ſive in orationibus, ſive in jejuniis, ſive in eleemoſynis ; vel tribuentes aliquid indigentibus, vel *donantes* injurias, ſicut & Deus in Chriſto *donavit nobis* ; ſive domantes pernicioſas conſuetudines, caſtigantesque corpus & ſervituti ſubjicientes ; ſive ſufferentes tribulationem, & ante omnia vos ipſos invicem in dilectione. (Quid enim ſufferat qui fratrem non ſuffert ?) Sive proſpicientes aſtutiam atque inſidias tentatoris, & ſcuto fidei jacula ejus ignita repellentes & extinguentes ; ſive *cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino*, vel vocibus à corde non diſſonis, *Omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus* : ita *ferventes ſpiritu*, ut in Domino laudetur anima veſtra. [b] Dona ejus illi ſervanda committite : fortitudinem veſtram ad illum cuſtodite. Quidquid mali, ipſo cuſtodiente, non

[a] *Epiſt.* 81.

Coloſſ. 3. 13.

1. Cor. 9. 27.

Eph. 4. 2.

Eph. 6. 16. 17.

1. Cor. 10. 31.

1. Cor. 12. 6.

Rom. 12. 11.

Pſal. 33. 2.

[b] *Lib. de ſanctâ virgin. cap.* 52.

committitis, tanquam remissum ab illo deputate, ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis; & tundentes pectora publicanos ruinosâ jactantiâ contemnatis. De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis, inflemini: de inexpertis autem orate, ne supra quàm potestis ferre, tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cùm aliorum bona fortè ignota vobis, benigne creduntur à vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur: & quæ fortè adhuc desunt, tanto dantur faciliùs, quanto desiderantur humiliùs. Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum. [a] Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. [b] Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesiâ, ut oret pro vobis Ecclesia. [c] Mores emendate, peccata redimite; & cùm

Ps. 2. 12.

a *Lib. de dono perfever. cap. 22.*

b *Homil. 49. cap. 3.*

c *Lib. de decem Chord. cap. ult.*

hæc feceritis, Deo gratias agite, à quo accepistis benè vivere. Et sic ei gratias agite, ut non insultetis his qui nondum bene vivunt: sed eos ipsos moribus vestris hortemini.

[a] Absit autem à vobis ideò desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis: *Maledictus* enim *omnis qui spem habet in homine.* Et: *bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine*, quia *beati omnes qui confidunt in eum.* Hanc spem tenentes, *servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* quoniam de vitâ æternâ, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista *vita*, quæ *tentatio est super terram*: sed faciet nos perseverare in se usque in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus: *Ne nos inferas in tentationem.*

[a] *Lib. de dono persev. c. 22.*

Ierem. 17. 5. Psal. 117. 8. Ps. 2. 13. Ib. v. 11.

Iob. 7. 1.

Matth. 6. 13.

SED LIBERA NOS A MALO.

MAnet enim malum in carne nostrâ, non naturâ in quâ divinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate prolapsus est; ubi amissis viribus non eâ quâ vulneratus est voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus: *Scio quoniam non habitat in carne meâ bonum.* Cui malo nos non obedire præcipit cùm dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Tu autem qui putas quòd si malum esset concupiscentia, careret eâ qui baptizatur, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo: quod planiùs ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod aggravat animam? Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumera-

a *Lib. 2. de pecc. mer. cap. 4.*

Rom. 7. 18.

Rom. 6. 12.

b *Lib. 6. cont. Iul. cap. 16.*

Sap 9.15.

bilia perpetrantur mala ? [a] Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo id renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente : concupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente. Nihil boni horum duorum est à nobis : *Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ex hoc autem concupiscentia pejor est quàm ignorantia, quia ignorantia sine cocupiscentiâ minùs peccat, concupiscentia verò sine ignorantiâ graviùs peccat ; & nescire malum, non semper est malum ; concupiscere autem malum, semper est malum. Bonum quoque ipsum utiliter aliquando ignoratur, ut opportunè sciatur : nullo autem modo fieri potest ut carnali concupiscentiâ bonum hominis concupiscatur, quandoquidem nec ipsa proles libidine corporis, sed voluntate ani-

[a] *lib. inf.*

1. Cor. 2. 12.

mi concupiscitur, quamvis non sine libidine corporis seminetur. De hâc quippe agimus concupiscentiâ,
Gal.5.17. quâ *caro concupiscit adversus spiritum*; non de illâ bonâ, quâ *spiritus concupiscit adversus carnem*, & quâ concupiscitur continentia per quam concupiscentia vincatur: hâc ergo concupiscentiâ carnis nunquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluptas carnis non est
a *Lib. 6. cont. Iul. cap. 15.* hominis bonum. [a] Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata con-
b *Ibid. cap. 18.* cipere ac parare non sinatur? [b] Percipitur autem in baptismate Christiano perfecta novitas, & perfecta sanitas ab eis malis nostris in quibus eramus rei, non ab eis cum quibus adhuc confligendum est, ne simus rei cùm & ipsa in nobis sint, nec aliena sed nostra sint. Nam & vi-

nolentiæ consuetudini utique malæ, quam sibi homines fecerunt, nascendo traxerunt, resistunt post baptismum, ne eos ad solita mala pertrahat: & tamen malo resistitur, dum concupiscentiæ per continentiam denegatur quod per consuetudinem concupiscitur. Unde etiam contra istam genitalium concupiscentiam quæ ingenita nobis est per originale peccatum, vehementiùs vidua quàm virgo, vehementiùs meretrix quando casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta, confligit, & tanto ampliùs in eâ superandâ voluntas laborabit, quanto majores ei consuetudo vires dedit. Ex isto & cum isto hominis malo nascitur homo: quod malum per seipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantùm habet obligationis, ut etiamsi de parentibus regeneratis trahatur, nonnisi quemadmodum in illis solâ regeneratione solvatur, atque isto unico remedio præpositus mortis à

prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. [a] Concupiscentia igitur tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nullâ damnatione persequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit: in grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam, & pace perfectâ nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, & nisi per medicinam pœnitentiæ, & opera misericordiæ per cælestem sa-

[a] *Lib. 2. de pecc. mer. cap. 4.*

1. Cor 15. 54.

cerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemque perducit. Propter hoc & Dominus orare nos docens, inter cætera monuit ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inferas in tentationem*; [a] Ut si fortè tentari cœperimus à concupiscentiâ nostrâ, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus quod perficietur in fine, cùm absorbebitur mortale à vitâ: *Sed libera nos à malo*: tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum quâ certare, & cui non consentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentiâ: Adjuva ne abstrahamur à concupiscentiâ: Aufer à nobis concupiscentiam. [b] Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut

Matth. 6. 12. 13.

a *Ib. inf.*

2. Cor 5. 4.

Matth. 6. 13.

b *Lib. 5. contra Iul. cap. 7.*

malum & malum, aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. [a] Proinde cùm mala concupiscere malum sit, & bona concupiscere bonum sit, atque hoc bellum, quandiu hîc vivitur, non quiescat, cùm *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; quis me liberabit de corpore mortis hujus*, nisi *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum?* [b] Non utique de substantiâ corporis, quæ bona est, sed de vitiis carnalibus, unde non liberatur homo sine gratiâ Salvatoris nec quando per mortem corporis discedit à corpore. Et hoc ut diceret Apostolus, quid supra dixerat? *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis.* Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur, ut sanetur. [c] Liberari ergo est à corpore mortis hujus, omni sanato languore

[a] *Ib. inf.*

Gal. 5. 17. Rom. 7. 24. 25.

[b] *Lib. de nat. & grat. cap* 53.

Rom. 7. 23.

[c] *Lib. 1. ad Bonif. cap.* 11.

concupiscentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam. Huic loco & illud satis consonat: [a] *Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum Iesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Vivificatis igitur mortalibus corporibus nostris, non solùm ad peccandum consensio nulla erit, sed nec ipsa cui consentiatur, carnis concupiscentia remanebit. [b] Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis, in vitâ æternâ manebitur. [c] Prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratiâ, quarta in pace plenâ atque perfectâ. [d] Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias, [e] cùm in altissimis ignorantiæ tenebris nullâ resistente ratione vivitur secundùm carnem: hæc sunt prima hominis. Deinde cùm per le-

Rom. 7. 15.

a *Ib. inf.* Rom. 8. 11.

b *Lib. 83. qq. qu. 66.*

c *Enchiridii cap. 118.*

d *Lib. 83. qq. qu. 66.*

e *Enchirid. cap. 118.*

gem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat spiritus, secundùm legem volens vivere, vincitur, & sciens peccat, peccatoque subditus servit: *A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est*: id agente scientiâ mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam cumulo prævaricationis adjecto, atque ita quod scriptum est impleatur: *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei spiritu; concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis, ut quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum totâ infirmitate sanatâ, ex fide tamen justus vivat, justeque vivat, inquantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente dilectione justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis, in quibus si piâ perseverantiâ quisque proficiat, postre-

2. Pet. 2. 19.

Rom. 7. 8.

Rom. 5. 20.

Gal 5. 17.

Rom. 1. 17.

ma pax restat quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. [a] In primâ ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi: in secundâ, quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur: in tertiâ pugnamus, & vincimus: in quartâ non pugnamus, sed perfectâ & æternâ pace requiescimus; subditur enim nobis quod inferius nostrum est, quod propterea non subdebatur, quia superiorem nobis deserueramus Deum. [b] Ergo cùm dixerimus, *ne nos inferas in tentationem*, sequitur, *Sed libera nos à malo*. Qui vult liberari à malo, testatur quia in malo est. Ideo dicit Apostolus: *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt*. [c] Dies malos, fratres, duæ res faciunt, malitia & miseria. Per malitiam hominum & miseriam hominum ducuntur dies mali. [d] Sed miseria hominum communis est: non debet malitia esse communis. Ex quo enim lapsus est Adam, &

a *Lib.* 38. qq. qu. 66.

b *Homil.* 42. *cap.* 9. Matth. 6. 12. 13.

Ephes. 5. 16.

c Ser. 24. *de verb. Ap. c.* 1.

d *lib. inf.* Gen. 3. 23.

de paradiso expulsus, nunquam fuerunt dies nisi mali. [a] Et hoc unde? Causa peccatum est: in uno peccavimus, & omnes ad corruptionem nati sumus. Malorum omnium nostrorum causa peccatum est: non enim sine causâ homines mala ista patiuntur. Justus est Deus: omnipotens est Deus: nullo modo isto ista pateremur, si non mereremur. [b] Non sunt ergo dies mali, quos agimus in corruptelâ hujus carnis, in tantâ vel sub tantâ sarcinâ corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? [c] Quid est aliud hîc nasci, nisi ingredi laboriosam viam? De labore futuro nostro testis est ipse fletus infantis. Ab isto molesto convivio nemo est excusatus. Bibendum fuit quod propinavit Adam. [d] Nascitur, & statim plorat: post nescio quot dies, ridet. Quando plorabat nascens, Propheta suæ calamitatis

[a] *Serm. 139. de temp. c. 3.*

[b] *Ser. 17. de verb. Do. med.*

[c] *Ser. 50. de temp. cap. 2.*

[d] *Ser. 24. de verb. Ap. c. 1. 2.*

erat, lacrymæ enim testes sunt miseriæ. Nondum loquitur, & jam prophetat. Quid prophetat? In labore se futurum, vel timore: & si bene vixerit, & justus fuerit, certè in mediis positus tentationibus semper timebit. Quid ait Apostolus? *Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 12.
Ecce *quia dies mali sunt*, sine persecutione vivere hîc justi non possunt. Eph. 5. 16. Qui inter malos vivunt, persecutionem patiuntur. Omnes mali persequuntur bonos, si non ferro & lapidibus, sed vitâ & moribus. [a] Quoniam per eos blasphematur Christianum & Catholicum nomen; quod quanto carius est eis *qui volunt piè vivere in Christo*, tanto magis dolent, quòd per malos intus positos fit ut minùs quàm piorum mentes desiderant, diligatur. Ipsi quoque hæretici, cùm Christianum cogitantur habere nomen, & sacramenta Christiana, & Scripturas, & professionem; magnum dolorem faciunt in cordibus

[a] *Lib. 18. de Civit. Dei. c. 51.*

piorum, quia & multi volentes esse Christiani, propter eorum dissensiones hæsitare coguntur, & multi maledici etiam in his inveniunt materiam blasphemandi Christianum nomen. [a] Dolor autem ipse qui sit in cordibus piorum quos persequuntur mores Christianorum malorum sive falsorum, prodest dolentibus, quoniam de charitate descendit, quâ eos perire nolunt, nec impedire salutem aliorum. Denique magnæ consolationes fiunt etiam de correctionibus eorum, quæ piorum animas tantâ jucunditate perfundunt, quantis doloribus de suâ perditione cruciaverant. Sic in hoc sæculo, in his diebus malis, non solùm à tempore corporalis præsentiæ Christi & Apostolorum ejus, sed ab ipso Abel, quem primum justum impius frater occidit, & deinceps usque ad hujus sæculi finem, inter persecutions mundi & consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia. [b] Carnales autem suos, id est viventes aut sentientes

[a] *Ib. inf.*

[b] *Lib. de verâ Relig. cap. 6.*

tientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in areâ frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac areâ pro voluntate quisque vel palea vel frumentum est, tandiù sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Excluſi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt ad admonitionem nostræ diligentiæ, aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ, aut hæresim aliquam gignunt ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium qui non potuerunt corrigi aut sustineri. Sæpe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christianâ etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas

novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quàm vero affectu & quantâ sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, ut sedatis remeare turbinibus, aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ullâ conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, & testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesiâ Catholicâ prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus; sed tamen exempla non desunt; imò plura sunt quàm credi potest. [a] Hæc est persecutio, quam patiuntur *omnes qui volunt in Christo piè vivere*, secundùm Apostolicam mordacem veramque sententiam. Quid enim hîc magis persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquoru

a Ep. 145.

2. Tim. 3. 12.

non cùm cogit imitari quod displicet, sed cùm cogit dolere quod videt ? Quoniam coram pio vivens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Nam sæpè & diu impiorum corporibus â sæcularibus potestatibus, & quorumlibet vexationibus parcitur, piorum autem cordibus à malis hominum moribus nunquam usque ad hujus sæculi finem. [a] Quisquis me audis, sed nondum vivis in Christo piè; incipe in Christo piè vivere, & probas quod dico. Denique Apostolus cùm commemoraret pericula sua: *Periculis*, inquit, *in mari, periculis in fluminibus, periculis in deserto, periculis in latronibus, periculis in falsis fratribus.* Cætera pericula quiescere possunt, pericula à falsis fratribus quiescere usque in finem sæculi non noverunt. [b] Inter illos necesse est ut gemamus. Sed quò se separaturus est Christianus, ut non gemat inter falsos fratres ? quò iturus est ? quid facturus ? Solitudines petat:

a Ser. 24 de verb. Ap. c. 2.

2. Cor. 11. 26.

b In Psal. 99. med.

sequuntur scandala. Separaturus est se qui bene proficit, ut nullum omnino hominem patiatur? Quid si & ipsum antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo quia proficit, nullum hominem vult pati; eo ipso quo non vult aliquem hominem pati, convincitur quòd non profecerit. Intendat charitas vestra. Eph. 4. 2. 3. *Sustinentes invicem*, ait Apostolus, *in dilectione: satagentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Sustinentes invicem.* Non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est. Sed ecce non sit: eò robustior es ad cæteros sustinendos, quòd jam non habes quod in te alij sustineant. Non sustineris: Sustine cæteros. Non possum, inquis. Ergo habes quod in te alij sustineant. *Sustinentes invicem in dilectione.* Tu deseris res humanas, & segregas te, ut nemo te videat. Cui proderis? Tu ad hoc pervenisses si nullus tibi profuisset? An quia veloces pedes tibi videris habuisse ad transeundum, præcisurus es pontem?

Exhortor omnes : vox Dei omnes hortatur : *Sustinentes invicem in dilectione.* Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis : cum illis mihi bene erit. [a] Pauci ipsi boni. de quibus turbis sunt eliquati ? Si tamen jam ipsi pauci, omnes boni. Tamen bona cogitatio, humana, laudabilis, esse cum talibus qui elegerunt vitam quietam ; remoti à strepitu populari, à turbis inquietis, à magnis fluctibus sæculi, tanquam in portu sunt. [b] Nemo vos fallat, fratres : si non vultis falli, & vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesiâ habere fictos. [c] Nam quid dicturus est mihi quisquis talibus locis fortè præest, imò servit fratribus in his quæ monasteria dicuntur ? Quid dicturus est ? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes ? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum : cum paucis bonis benè mihi erit. Ubi cognoscis quem for-

a *Tb. inf.*

b *Ibid. longiùs infrà.*

c *Tb. sup.*

tè vis excludere ? ut cognoſcatur malus, intus probandus eſt. Quomodo ergo excludis intraturum, qui poſtea probandus eſt, & probari niſi intraverit non poteſt ? Repelles omnes malos ? Dicis enim, & noſti inſpicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt qui intraturi ſunt ? Ipſi ſe non noverunt : quanto minùs tu ? Multi enim ſibi promiſerunt quòd impleturi eſſent illam vitam ſanctam, in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid ſuum, quibus eſt una anima & cor unum in Domino : miſſi ſunt in fornacem & crepuerunt. Quomodo ergo cognoſcis eum qui ſibi adhuc ignotus eſt ? Excludes malos fratres à conventu bonorum. De corde tuo quiſquis iſta dicis, omnes malas cogitationes, ſi potes, à te exclude. Non intret in cor tuum vel ſuggeſtio mala. Non conſentio, inquis : ſed intravit tamen ut ſuggereretur. Nam omnes munita corda habere volumus, ut nihil intret quod malè ſuggeratur : unde autem

Act. 4. 32.

intret, quis novit? Et pugnamus quotidie in uno corde nostro: unus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggerit avaritia: suggerit libido: suggerit voracitas: suggerit lætitia ista popularis. Omnia suggeruntur: ab omnibus se continet, omnibus respondet, & ab omnibus aversatur: difficile est ut non in aliquâ feriatur. Ubi ergo securitas? Hîc nusquam, in istâ vitâ nusquam nisi in solâ spe permissorum Dei. Ibi autem, cùm illuc pervenerimus, perfecta securitas, cùm clauduntur portæ, & confirmantur vectes portarum Jerusalem: ibi verè plena jubilatio, & magnum gaudium. Modò autem ne securus laudes quamlibet vitam: *ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Hinc autem falluntur homines, ut vel non suscipiant meliorem vitam, vel temerè aggrediantur, quia & cùm laudare volunt, sic laudant ut non ibi dicant mala quæ mixta sunt; & qui vituperare volunt, tam invido animo & perverso vituperant, ut clau- Eccl. 11. 30.

dant oculos adversus bona, & sola mala quæ ibi vel sunt vel putantur, exaggerent. Inde fit ut unaquæque professio malè laudata, id est, non cautè laudata, cùm invitaverit homines laude suâ, inveniant illiqui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant; & offensi à malis resiliant à bonis. [a] Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores, viscera sua impendentes his qui volunt proficere, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Laudant hæc: obliviscuntur quia mixti sunt malis. Rursus qui reprehendunt avaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum; appetentes res alienas, ebriosos, voraces, jactantes. Et tu invidè vituperas, & tu incautè laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos: tu qui vituperas, vide ibi & bonos. Sic & in illâ vitâ communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri, sancti; quotidie in hymnis, in orationibus,

[a] *In Psal. 99. post med.*

Phil. 2. 21.

nibus, in laudibus Dei : inde vivunt. Cum lectione illis res est : laborant manibus suis : inde se transigunt : non avarè aliquid petunt. Quidquid eis infertur à piis fratribus, cum sufficientiâ & cum charitate utuntur. Nemo sibi usurpat aliquid quod alter non habeat. Omnes se diligunt : omnes invicem se sustinent. Laudat qui nescit quid interiùs agatur ; qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naves in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus. Invenit ibi fratres malos, qui mali inveniri non possent nisi admitterentur : & necesse est ut primò tolerentur, ne fortè corrigantur : nec excludi facilè possunt, nisi priùs fuerint tolerati. [a] Et paucorum hominum molestiâ irritatus, dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Jam verò cùm inde exierit, fit & ipse vituperator & maledicus ; & dicit ea sola quæ qua-

[a] *lib. inf.*

si se pati non potuisse asseverat, & aliquando vera. Sed vera malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. [a] Quia in omni congregatione multitudinis necesse est ut inveniantur mali. [b] Ecce, inquiunt, dicit Propheta : *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis.* Isa. 52. 11. Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus? vel, à quibus exire & recedere jubemur, ne tangamus immundum? Nos istam recessionem spiritaliter intelligimus : illi corporaliter. [c] Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque personâ, salvâ pace, fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccavit: non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exegit, congruam, & quæ unitatem non violat, disciplinam : existi inde. Attendite in facta sanctorum, ne fortè

[a] *In Psal. 54. ante med.*

[b] *Ser. 18. de verb. Do. cap. 20.*

[c] *Ib. inf.*

nostra videatur interpretatio. Quomodo hæc verba intellexerunt sancti, sic utique intelligenda sunt. [a] Certè manifestè dixit Propheta: *Recedite, & exite inde, & immundum ne tetigeritis.* Ego ut intelligam quod dixit, attendo quod fecit. Facto suo mihi exponit dictum suum. Dixit: *Recedite.* Quibus dixit? Utique justis. A quibus ut recederét dixit? Utique à peccatoribus & iniquis. Quæro à talibus utrum ipse recesserit. Invenio quòd non recesserit. Ergo aliter intellexit; nam utique prior faceret quod præcepit. Recessit corde: objurgavit atque arguit. Continendo se à consensu, non tetigit immundum: objurgando autem exiit liber in conspectu Dei: cui neque sua Deus peccata imputat, quia non fecit; neque aliena, quia non approbavit; neque negligentiam, quia non tacuit; neque superbiam, quia in unitate permansit. [b] Sed dicet aliquis: quomodo præcipienti Apostolo poterimus obedire, qui vetat *cum ejusmodi nec cibum* si-

a *Ibid.* cap. 22. Isa. 52. 11.

b *Lib. 3. cont. Ep. Parmen. c. 2. med.* 1. Cor. 5. 11.

mul *sumere* ?[a] In hâc velut angustiâ quæstionis non aliquid novum aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiæ, ut cùm quisque fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum eâ dilectione, de quâ ipse alibi præcipit dicens, ut inimicum non eum existimetis, *sed corripite ut fratrem* : non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quòd si se non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ unitate dirimetur. Nam & ipse Dominus cùm servis volentibus zizania colligere dixit : *Sinite utraque crescere usque ad messem* ; præmisit causam dicens : *ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum.* Ubi satis ostendit, cùm metus iste non subest, sed omnino

[a] *lib. inf.*

2. Thess. 3. 15.

Matth. 13. 30.

Ibid.

de frumentorum certâ ſtabilitate certa ſecuritas manet; id eſt, quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in quâ tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio caritatis. Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cùm congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena eſt: tunc enim adjuvat præpoſitum potiùs corripientem, quàm criminoſum reſiſtentem. Tunc ſe ab ejus conjunctione ſalubriter continet, ut nec cibum quiſquam cum eo ſumat, non rabie inimicâ, ſed coërcitione fraternâ. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore ſanatur, cùm ab universâ Eccleſiâ ſe anathematizatum videns, ſociam turbam cum quâ in delicto ſuo gaudeat, &

bonis insultet, non potest invenire. Ad hoc enim & ipse Apostolus ait: 1. Cor. 5. 11. *Si quis frater nominatur*; in eo quippe quod ait, *Si quis*, nihil aliud videtur significare voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter dissimiles peccat, id est, inter eos quos peccatorum similium pestilentia non corrumpit. In eo verò quod ait, *nominatur*, hoc nimirum intelligi voluit, parum esse ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est, famosus appareat, ut possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Ita enim & salvâ pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur, & medicinaliter uritur. [a] Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus, ut per illud signum quod Ezechieli sancto revelatur, illæsi evadere ab illorum vastatione mereantur. Ad eum enim qui errare non potest, clamant: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam*, Psal. 25. 9.

a *Lib. 3. cont. Ep. parm. cap. 2. Ib. inf.*

& cum viris sanguinum vitam meam : ne, cùm voluerint colligere zizania, eradicent simul & triticum, nec per diligentiam segetem Dominicam purgent, sed per temeritatem ipsi potiùs inter purgamenta numerentur. Ideóque idem Apostolus cùm jam multos comperisset & immundâ luxuriâ & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secundâ epistolâ scribens, non itidem præcipit ut cum talibus nec cibum sumerent: multi enim erant, nec dici de his poterat, *Si quis frater nominatur fornicator, aut idolis serviens, aut avarus*, aut aliquid tale, *cum ejusmodi nec cibum quidem simul sumere*; sed ait: *Ne iterum cùm veniro ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiâ, & luxuriâ, & fornicatione, quam gesserunt*: [a] Ut luctus ejus impetraret flagellum à Domino, quo illi corriperentur, qui jam propter multitu-

Matth. 13. 29.

1. Cor 5. 11.

1. Cor. 5. 11.

2. Cor. 12. 21.

a Ib. infr.

dinem non poterant ita corripi ut ab eorum conjunctione se ceteri continerent, & eos erubescere facerent, sicut faciendum est si quis frater in aliquo ceteris dissimili crimine nominatur. Et reverâ si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est : nam consilia separationis & inania sunt, & pernicioſa atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm
a Ib. inf. corrigant animosos malos. [a] Hoc qui diligenter cogitat, nec in conservatione unitatis negligit disciplinæ severitatem, nec immoderatione coërcitionis dirumpit vinculum
b Ib. inf. societatis. [b] Quamobrem & illud præceptum Apostoli nullomodo negligendum est, cùm sine periculo violandæ pacis fieri potest; quia nec ipse aliter fieri voluit, ut à congregatione bonorum separetur malus; & ejusdem illud præcipuè attendendum est, ut sufferentes invicem studeamus *servare unitatem spiri-*

tus in vinculo pacis. [a] Conatur ergo homo plerumque corrigere homines distortos, pravos, pertinentes quidem ad curam suam, sed in quibus deficiat omnis humana industria & vigilantia. Corrigere non potest: pati necesse est. Et qui corrigi non potest, tuus est aut consortio generis humani, aut plerumque Ecclesiasticâ communione conjunctus. Intus est. Quid facies? Quò ibis? Quò te separabis ut ista non patiaris? [b] Attende potiùs consolatorem illum Dominum & Regem, Imperatorem & Creatorem nostrum, creatum esse etiam inter nos. Attende quia duodecim suis miscuit unum quem pateretur. [c] Caput nostrum esse voluit, caput scilicet cujusdam corporis; non enim potest dici caput, ubi corpus nullum est cui sit caput. Proinde si caput Christus, & alicujus corporis caput est Christus. Corpus illius capitis sancta Ecclesia est, in cujus nos membris sumus, si caput nostrum diligimus. . . . [d] Quisquis ibi

a *In Psal.* 54. ante med.

b *Ib. inf.*

Ioan. 6. 71. 72.

c *In Psal.* 139. præfat.

d *Ib. inf.*

non fuerit, in eis erit, inter quos illud corpus gemit. Proinde aut in illo corpore eris ut gemas inter malos: aut non eris in illo corpore, & in eis eris inter quos malos gemit corpus quod gemit inter malos: aut membrum Christi, aut hostis corporis Christi. Nec isti inimici & adversarij corporis Christi uno modo intelliguntur, aut uno modo agunt. Versipellis est enim qui in eis regnat, & qui eis utitur tanquam vasis suis. Cæterùm multi ab illo liberantur, & in corpus Christi transeunt; & qui sint, & quid futuri sint, novit ille qui illos redemit
a *lib. inf.* sanguine suo nescientes. [a] Nos autem in hâc vitâ difficile est ut nos ipsos noverimus: quanto minùs debemus de quoquam præproperam ferre sententiam? quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus: & fortè quem vehementer odimus, frater noster est, & nescimus. Securi ergo odimus in malis malitiam, & diligimus naturam & creaturam, ut quod ibi fecit

Deus amemus, quod ibi fecit ipse homo oderimus. Fecit enim Deus ipsum hominem, fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit Deus: odi quod fecit homo: sic enim persequeris quod fecit homo, ut liberetur quod fecit Deus. [a] Et quandocunque dicis Deo: *Libera me Domine ab homine malo.* ([b] Quis enim in isto sæculo non patitur aliquem hominem malum?) Quando ergo dicis Deo hoc: *Libera me Domine ab homine malo....* Fac tibi respondisse Deum: A quo? à Gaïo, à Lucio, à nescio quo quem pateris. Et respondet tibi: De te mihi nihil dicis. Si ab homine malo libero te, priùs liberandus es à teipso. Pateris malum: noli teipsum pati malum. Videamus si invenit in te quid tibi faciat alter malus. Tu noli esse malus: non tibi dominetur avaritia, non te calcet concupiscentia tua, non te trituret ira tua. Isti hostes interiores tui sunt. Tu ipse non tibi aliquid facias. Videamus quid tibi faciat vicinus

a *Homil.* 29. *cap.* 3. Psal. 139. 1.

b *Ib. Inf.*

malus, patronus malus, potens malus: videamus quid tibi faciat. Justum te inveniat: fidelem te inveniat: Christianum te inveniat. Act. 7. 54. & seqq. Quid tibi facturus est? quod Stephano Judæi fecerunt. Faciendo malum, miserunt ad bonum. Ergo quando oras ut liberet te Deus ab homine malo, attende te, noli tibi parcere, te à te liberet. Quomodo te à te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando menti tuæ cælestem delectationem, quâ omnis terrena delectatio superetur. Hæc cùm tibi præstat Deus, liberat te à te, & securus expectas in hujus sæculi malis transitoriis, cum eis bonis venturum Dominum, quæ transire non possunt; [a] & impletur quod orasti: *Libera nos à malo.* [b] Et hoc quidem ultimum quod in Dominicâ oratione positum est, tam latè, támque evidenter & manifestè patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione consti-

a *Homil.* 42. *cap.* 9. Matth. 6. 13.

b *Ep.* 121. *cap.* 11.

tutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. [a] Sed harum septem petitionum considerandæ distinctio est. [b] Tres ergo petitiones superiores, *Sanctificetnr nomen tuum, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ*, æternæ sunt, [c] quanquam in hâc vitâ quæ in isto sæculo agitur, exordium capiant. Nam & sanctificatio nominis Dei, ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit, & adventus regni ejus quo in claritate venturus est, non jam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur; & perfectio voluntatis ejus sicut in cælo & in terrâ, sive justos & peccatores cælum & terram intelligas, sive spiritum & carnem, sive Dominum & Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectio est nostræ beatitudinis, & ideo sæculi terminatione complebitur, tamen omnia tria in æternum manebunt. [d] Reliqua verò quatuor quæ petimus, ad

a *Lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 10.*

b *Homil. 42. c. 10. Matth. 6. 9.*

c *Lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 10.*

d *Ib. nisi*

temporalem istam vitam pertinere mihi videntur; quorum primum est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* [a] Nunquid quotidie petituri sumus panem quotidianum quando ad illam satietatem venerimus? *Dimitte nobis debita nostra?* Nunquid dicemus in illo regno, quando debita non habebimus? *Ne nos inferas in tentationem*; nunquid tunc dicere poterimus, quando nulla erit tentatio? *Libera nos à malo*; nunquid dicemus, quando nullum erit unde liberemur? Quatuor ergo ista propter vitam nostram quotidianam nobis necessaria sunt: tria verò illa propter æternam. [b] Quisquis autem id dicit quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos, nonnisi spiritaliter decet orare. Qui enim dicit, verbi gratiâ, clarificare in omnibus gentibus sicut clarificatus es in nobis:

Matth. 6. 11.

[a] *Homil.* 42. *cap.* 10.

Matth. 6. 12.

Ibid. v. 13.

[b] *Ep.* 121. *cap.* 12.

& , *Prophetæ tui fideles inveniantur* : quid aliud dicit , quàm , *sanctificetur nomen tuum* ? Qui dicit, *Deus virtutum converte nos , & ostende faciem tuam , & salvi erimus* : quid aliud dicit quàm , *veniat regnum tuum* ? qui dicit , *itinera mea dirige secundùm verbum tuum , & ne dominetur mei omnis iniquitas* , quid aliud dicit quàm , *fiat voluntas tua sicut in cælo , & in terrâ* ? Qui dicit , *paupertatem & divitias ne dederis mihi* : quid aliud dicit quàm , *panem nostrum quotidianum da nobis hodie* ? Qui dicit , *Memento Domine David , & omnis mansuetudinis ejus* ; aut , *Domine si feci istud , si est iniquitas in manibus meis* ; *si reddidi retribuentibus mihi mala* : quid aliud dicit quàm , *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* : Qui dicit , *aufer à me concupiscentias ventris , & desiderium concubitus ne apprehendat me* : Quid aliud dicit quàm , *Ne nos inferas in tentationem* ?

Eccli. 36. 18.

Psal. 79. 8.

Psal. 118. 133.

Proverb. 30. 8.

Psal. 131. 1.

Psal. 7. 3. 4.

Eccli. 23. 6.

Psal. 58 2. Qui dicit, *Erue me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus super me libera me*: quid aliud dicit quàm, *Libera nos à malo*? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo nihil invenies, quod non ista Dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere: sed non debet esse liberum alia dicere. Hæc & pro nobis, & pro nostris, & pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine fluctu dubitationis oranda sunt: quamvis alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum, in corde orantis oriatur aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratiâ, Domine multiplica divitias meas: aut, da mihi tantas, quantas illi vel illi dedisti: aut, honores meos auge: aut, fac me in hoc sæculo præpotentem atque clarentem: vel si quid hujusmodi est; & hæc dicit eorum habens concupiscentiam,

tiam, non id attendens ut ex his secundùm Deum prosit hominibus: puto eum non invenire in Oratione Dominicâ quò possit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere, quæ non pudet cupere. Aut si & hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto meliùs hoc petitur ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet cui dicimus: *Libera nos à malo.*

FINIS.

Approbatione Doctorum.

NOs infra-scripti in sacra Theologiæ Facultate Parisiensi Doctores testamur legisse Opusculum cui titulus est *Philaremi Palæologi monachi de Oratione Dominica, &c.* in quo non tantum nihil deprehensum quod à recta fide & Christiana morum sanctimonia abhorreat sed ipsissimum S. Augustini spiritum, ut & verba illius ex quibus totum quantum est mira arte atque immani authoris opera fuit contextum atque elaboratum videatur legentibus repræsentare & instillare. Atque ea propter ne sola Latinitas & tam eximij Ecclesiæ Doctoris sensa litteratis & peritionibus dicantur placuisse, sed etiam ipsa divinæ gratiæ delectatio victrix, ad populares nostros, seu nostræ fidei domesticos omnes, faciliùs perveniat, & illud prælo dignissimum, & quod è Latino sermone in vernaculum transferatur, judicamus. In cujus rei fidem huic nostræ attestationi subscripsimus die 24. Maij anni 1672.

PORCHER.
N. PETITPIED.
T. ROULLAND.


Extraict du Privilege du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy; Donné à S. Germain en Laye le 2. jour de Juin l'an de Grace 1672. Signé par le Roy en son Conseil DE RAGAREU, & sceellé du grand Sceau de cire jaune. Il est permis à GUILLAUME DESPREZ Marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter dans tous les lieux de nostre Royaume, un livre intitulé, *Philerem Palæologi Monachi de Oratione Dominica*, &c. Latin & François, ou tout en Latin ou tout en François, ainsi & en la maniere qu'il sera jugé bon estre par ledit Desprez, durant le temps & espace de dix ans, avec deffences à tous Libraires, Imprimeurs ou autres de le contrefaire, à peine de trois mil livres d'amande, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de

tous dépens, dommages & interests, ainsi qu'il est porté plus au long dans lesdites Lettres.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 4. Juin 1672. suivant l'Arrest du Parlement de Paris du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil privé du Roy 1665. Signé, THIERRY, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 30. Septembre 1672.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE
ORATIO
DOMINI

Th
2688

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN